








CHRISTO·ET·ECCLESIÆ
LIBRARY
OF THE
HARVARD
UNION
FROM
THE LIBRARY OF
Frederic Saltonstall Gould
CLASS OF 1875
OF SANTA BARBARA, CAL.
GIVEN IN HIS MEMORY
APRIL 1921



Strang, Mrs. Herbert

MOUNT HOPE CLASSICS

VOL. IV.

FABVLÆ DIVALES

Ex narratione Anglica Heræ HERIBERTI STRANG

Latine interpretatus est ARCADIVS AVELLANVS

His accedit Fabula

AMOR ET PSYCHE

e Libris Metamorphoseon

LVCII APVLEII

Madaurensis Philosophi Platonici cum notis et animadversionibus eiusdem Interpretis

Prostat apud
E. PARMALEE PRENTICE,
37 Wall Street,
New York City, N. Y.



LATIN PRESS PRINTING CO., 336 W. GIRARD AVE., PHILADELPHIA, PA.

INDEX



LVCERNA ALADDINI

LVCERNA ALADDINI

PARS PRIMA.

VIXIT quondam in Seribus[1] paupercula vidua quæ ad se, filiumque suum otiosum et inficetum[2] sustendandum, gossypium[3] nere cogebatur. Nomen filii erat Aladdinus. Quodam die, quum hic in via lusitabat, peregrinus aliquis ad eum accessit.

"Puerule mi," affatur eum peregrinus, "nonne pater tuus fuit Mustapha, sartor ille?"

1. *Ser*, *-is*, ex natione, vel regno *Serum* (*Seres*, *-um*) quod vulgo *Sina*, incolæ autem *Sinenses*, appellantur. Ab his tela bombycina *sericum*, *-i*, vestes inde factæ *serica*, *-orum*, vocantur. Usu tamen venit Nomen Adiectivum *sericeus*, *-a*, *-um*, ac fœminino genere *serica*, *-æ*, adhibere, *tela* subaudita, ad designandum omne id quod e filis bombycinis fit, uti vestes muliebres, subuculæ, mucinia, tibialia, focalia, aliaque idgenus.

2. *Inficetus*, *-a*, *-um*, proprie significat hominem non *facetum*, insulsum, ineptum, sine acumine mentis; sed latiori sensu etiam hominem indolentem, segnem, inertem.

3. *Gossypium*, *-ii*, est planta, quæ genus lanæ gignit, quam Germani etiam lanam arboream appellant, ex qua plerumque lana ovium immixta, telæ fiunt, materia vestium albarum, quas ideo *gossypinas* vocamus, uti sunt linteamina, tegetes omnis generis, sabana, manutergia, subuculæ, et sic deinceps.

"Ita, fuit," respondit Aladdinus, "sed ille iam dudum mortuus est."

Hoc audito peregrinus Aladdinum amplexatus est.

"Eheu!" inquit ille, "sero itaque veni. Etenim ego frater sum patris tui, et ad visendum eum e longinquo veni. Morte eum abreptum esse ægre fero. Adi, obsecro, mi fili, matrem tuam; affer illi hanc crumenam[1] pecuniæ; indica, sis, mihi ubi ipsa habitet, velisque ei nuntiare me visum eam adventurum."

Aladdinus cuncta hæc perfecit. Mater sua magnopere mirabatur pueri relata quum audivisset, quod nesciebat ullum fratrem mariti sui in vivis esse; attamen quum pecuniam ab eo missam conspexisset, iam nihil dubitavit eum Aladdini patruum esse, itaque postridie cœnam opiparam ei paravit.

At vero, ut mox repertum est, peregrino illi cum Aladdino nulla omnino fuit agnatio, sed nequam erat magus Africanus, qui ope egebat alicuius ad comparandos thesauros, quibus ipse potiri nequibat.

Igitur magus venit ad cœnam, deosculatus est viduam, vocavit eam fratriam, multaque munuscula ei donavit. Quæsivit dein, quodnam opificium puer exerceret, quum vero puer pendente capite fassus es-

1. *Crumena*, -*æ*, loculus, locellus, est plerumque ex corio, in qua pecuniam, præsertim chartaceam, in sacculis gerimus, si habemus.

set se prorsus nullam artem exercere, magus spopondit se facturum ut puer in propria taberna instructa stabiliretur. Hoc proposito puerum novis indumentis donavit, eumque in urbem secum comitem, ad alios mercatores conveniendos, deduxit. Præterea eum etiam in suburbia adduxit, ut ibidem pulcherrimos hortos cerneret, ac pedetentim eum procul ab urbe abduxit.

Denique in vallem, mediocres inter montes sylvestres patentem pervenerunt, ubi magus ephebum sic allocutus est:

"Modo non longius procedemus, sed hic tibi aliquid miri ostendam. Interim age, quære et collige aliquantum sarmenti, et ignem suscitemus."

Quum ignis accensus erat, magus aliquid suffimenti superiniecit. Ater inde fumus exoriebatur; tum aliquot verba ignota mussitat; terra tremere incipit, ad pedes suos magno hiatu panditur, lapidemque planum, cum annulo æreo in medio revelat.

Aladdinum pavor ita perculit, ut aufugere tentaret; sed magus apprehensum eum verberavit.

"Hic manebis," inclamat eum magus. "Sub eo lapide ingens thesaurus celatur, dimidium cuius, si mihi obtemperaveris, tuum erit. Prehende itaque annulum, lapidemque subleva!"

Aladdin dicto obsecutus tremens, ac, sublato la-

pide, ecce exigua ianua sub oculos cecidit, tribus aut quatuor gradibus ad eam deorsum ducentibus.

"Descende eo," mandat magus, "ibique reperies tres aulas spatiosas, plenas ollarum, auro argentoque referctarum. Nihil horum attrectaveris, alioquin extemplo morieris, sed transi ad hortum, pone aulam tertiam, ascendesque quinque gradus ad fastigium ducentes. Illic, in cavatura, invenies lucernam ardentem. Restingue sis eam, mihique affer. Licebit tibi in horto fructus legere, si velis, sed nihil aliud sustuleris."

His dictis Aladdino annulum præbuit, quem fascinum contra omnia mala esse dixit.

Aladdinus igitur per gradus decurrit in cavum, facitque singula quæ magus iussit. Lucernam tollit. Quandoquidem vero cunctæ arbores in horto omnis generis fructuum pellucidorum ac multorum colorum gravatæ erant, Aladdinus sinum sui indumenti iis complet. Tunc quidem id nesciebat, cuncti tamen hi fructus lapides erant pretiosi.

Ad ingressum cavi interea magus moræ impatiens eum præstolabatur.

"Patrue mi," invocat eum Aladdinus, "iuva me ascendere.

"Porrige sis mihi prius lucernam," iubet magus.

"Id facere nequeo," respondet Aladdinus, "gra-

vatus enim his fructibus sum. Primum iuva me ascendere, tum lucernam tibi dedam."

"Haud ita," refert magus, "prius lucernam."

Sed Aladdinus lucernam usque eo e manu mittere recusavit, donec ipse e cavo excessisset. Magus ob id in ingentem furorem est raptus. Itaque plus suffimenti in ignem iecit; terra super cavum clauditur, Aladdino usque in cavo — ad pereundum capto.

Puer biduum ibi clausus, sine cibo ac potu tempus exegit, morte ei imminente, unde magnopere sollicitus plexis manibus orare cœpit. Quum hoc facit, casu annulum, quem magus digito eius indiderat, altera manu affricuit. Subito, cum ingenti stupore Aladdini, miræ magnitudinis genius, turpissimo vultu, ex terra exsurgit.

"Fare, quid tibi vis?" imperat genius, "præsto adsum ad obsequendum ut servus tuus, atque servus cuiuscunque, qui annulum hunc in digito gerat; ego cæterique servi annuli."

Aladdinus iam in tantis angustiis versatus, ab immani genio plane nihil sibi timendum putavit, idcirco sic eum appellat:

"Quisquis tu denique sis, velis me, si modo possis, ex hoc loco liberare."

Haud prius verba protulit, quam iam se etiam extra montem esse sensit, ipso in eo loco, in quem magus eum primo deduxerat. Hinc celerrime quam

poterat, domum se contulit, ac tum, inedia exhaustus, ante ostium suæ matris exinanitus obdormivit.

Vidua gaudio reperti filioli sui magnopere erat affecta, atque simul ac filiolus ad se redivit, eum, modo quo poterat, cibavit, qui matri postmodum omnia mira quæ expertus erat ad singula narravit. Lucernam gemmasque cunctas secum attulit, sed mater Aladdini, ut et ipse, lapides pretiosos in numero tantum vitri colorati habuerunt, nec lucerna videbatur ipsis magni pretii.

Postridie nullum in domo erat alimentum, proinde mater Aladdini statuit ad vendendam telam, quam e gossypio texerat, prodire, sed Aladdinus,

"Contine modo, mater," inquit, "tuam telam in posterum diem: potius ego prodibo ut lucernam, quam heri mecum tuleram, vendam."

Mater Aladdini lucernam protulit, et quoniam ea sordida erat, tersitare eam cœpit, ut tanto carius eadem vendi posset. Ut vero eam arena fricans mundabat, horrendus quidam genius subito comparuit.

"Fare, quid tibi vis?" quærit genius. "Præsto adsum ad obsequendum ut servus tuus, atque servus cuiuscunque, qui eam lucernam in manu habeat; ego, cæterique servi lucernæ."

Mater Aladdini adeo perterrita est, ut intermoreretur, sed Aladdinus lucernam arripuit, atque clamavit:

"Esurio; ferto mihi cibum."

Genius ex oculis confestim evanuit, sed fere nullá morá redivit cum magna lance argentea, duodenisque argenteis patinis, omni genere delicatorum ciborum plenis, item pastis panum, lagenis vini, scyphisque argenteis. Cuncta hæc in mensam collocavit, quo facto e conspectu evanuit.

Aladdinus materque, quam primum hæc ad se rediverat, dapibus his famem suam affatim expleverunt, et satis etiam fuit reliqui in diem posterum. Deinde Aladdinus vasa cibaria argentea vendidit, proventu autem iterum cibum præstinavit.

Hunc in modum plures annos victitarunt, evocando genium quum egestate premebantur, dapibus per eum allatis epulati, vasisque in quibus eæ allatæ erant, postmodum identidem venditis. Dein, quodam die, qaum casu Aladdinus in urbem ivisset, contigit ut filiam Sultani regiam, Badrulbuduram, quodam puncto temporis, quum ipsa velum e vultu sublevasset, conspicatus esset, eamque extemplo adamavisset.

Domum redux se subito tam quietum ac meditabundum præbuit, ut mater ab eo, quid rei esset, sciscitaretur. Aladdinus respondit ei:

"Mater mea, venustissimam filiam regiam Badrulbuduram Sultani adeo deperii, ut sine ea ne vivere quidem possem; adibis itaque Sultanum, illamque mihi in uxorem expetes."

Mater Aladdini risit. "Num oblitus es," denique mater eum admonet, "patrem tuum nihil nisi sartorem pauperrimum fuisse? An nescis Sultanum pretiosissima dona exspectaturum? Quidnam tu, mi fili, quod donare possis habes? Filiam Sultani tibi in uxorem ego nullo modo expetere possum."

Attamen Aladdinus perseverat. Monet matrem fructus curiosos, quos olim secum tulerat, haud aliud quam gemmas, et maximi quidem pretii, esse, quoniam ex eo tempore satis cum gemmariis in urbe versatum ab iis pretium gemmarum se edoctum esse; proinde instabat, ut mater eas Sultano offerret, et filiam eius sibi in uxorem deposceret.

Tandem, ut animum eius conciliaret, vidua prodivit. Gemmas in vas myrrhinum imposuit, mappulá eas obtexit, et sic instructa adversus regiam Sultani profecta est. Ibidem in præstolatorio, cum aliis multis, diu exspectavit; nemo tamen eam allocutus est, proin domum reversa est, sed alias iterum redivit. De die in diem idem semper fiebat, tamen, denique, Sultanus percontabatur quæ illa anus esset, quæ cum suo manipulo identidem eodem loco stare soleret, quidque sibi vellet. Aulici itaque eam coram produxerunt, quæ dein se ante Sultanum in genua proiecit, gemmas in donum obtulit, verbisque tremulis flagitavit, utrum filio Aladdino filiam regiam in uxorem impetrare liceret.

Sultanus aspexit lapides, quippe qui gemmas tanti pretii viderat nunquam.

"Quam præclaræ! Quam pulchræ!" mirabundus exclamat Sultanus, unde ad summum ducem suum conversus, sciscitabatur utrum is non æquum existimaret, ut manus Regiæ Filiæ ei traderetur, qui eam tanto pretio æstimaret.

Quæstio summum ducem admodum confudit, quoniam Regiam Filiam suo ipsius filio desponsari concupiverat.

"Mi Domine," respondit ille, "dona ista, profecto dignissima sunt, verumtamen largire tres menses antequam rem dirimas."

"Placet," ait Sultanus, sed quum lapides pretiosos retinere vellet sibi, matri Aladdini sic respondit: "Nuntia filio tuo, propositum suum mihi acceptabile esse, verumtamen filiam meam locare ante trimestrum me nequire. Post id temporis spatium ad me revertére."

Igitur mater Aladdini læta domum regressa est, filius autem accepto nuntio summo gaudio afficiebatur.

Factum est post duos menses, ut vidua mercatum prodivisset. Vias magná hominum catervá quaquaversum scatere reperit, omnemque frequentiam certá aliquá re delectari. Causam percontata reperit Regiam Filiam Badrulbuduram mox filio summi du-

cis nupturam esse. Domum reversa, nova nuntiat Aladdino, hic tamen loco omnem spem relinquendi, ut ipsa putabat, respondit: "Id nunquam fiet!" quibus dictis ad proferendam lucernam discessit.

Genio prodeunte, narravit ei quid evenisset, Regiamque Filiam, atque filium summi ducis ad se adduci iussit. Genius iussa facit, arteque magica utrumque in domum Aladdini defert. Uterque ingenti timore afficiebatur, atque quamvis Aladdinus Regiam Filiam his verbis solatus esset, "Nolli timere, colendissima Filia Regis, omnino enim in tuto es!" ipsa eum vix audivit quidem.

Quod vero ad filium summi ducis attinet, Aladdinus demandavit genio ut eum usque in diem posterum e medio tolleret, postea vero et Regiam Filiam, et ducis filium in palatium restitueret.

Itaque post hæc pericla insolita filius summi ducis minus cupiebat Regiam Filiam Badrulbuduram ducere, et hæc ei nubere, proinde sponsalia dirempta sunt, omnesque lautitiæ finem acceperunt.

Aladdinus tum ad finem usque tertii mensis tempus sibi sumpsit, ac tum demum matrem in regiam Sultani, ad promissum in memoriam regis revocandum misit. Sultanus aspectabat viduam, perquam misere indutam; haud enim videbatur Sultano credibile ut filius istiusmodi mulieris dignus fieri posset socius suæ filiæ, sed nec promissum violare se dignum

censebat. Denique leges commentus est, quibus ab Aladdino satisfieri non posse existimabat.

"Nuntia ergo filio," fatur denique Sultanus, "si ipse filiam meam in uxorem ducere velit, quadraginta scutellas aureas eiusdem generis gemmis plenas, quas antea mihi tuleras, submittat; oportebit quamque scutellam a nigro servo portari, unumquemque horum vicissim a iuvene venusto, albo servo duci; hos autem omnes magnifico ornatu indutos esse oportebit. Tunc demum, nec prius, filiam meam ei in uxorem dabo."

Vidua domum reversa, hæc Aladdino narravit, monuitque eum ut omne consilium ducendæ Regiæ Filiæ deponeret.

"Non sic," respondit Aladdinus; "quin et plus paratus essem facere quam hæc, ad conciliandum Regiæ Fliæ animum," quibus dictis suam lucernam protulit.

Quum itaque genius comparuisset, docuit eum quid in votis haberet, hic se proclinavit, Aladdinumque certiorem fecit, omnia ita futura ut iussisset. Haud multo post idem ad se revertit cum quadraginta servis nigris, singuli cum largis scutellis aureis, quarum quæque ad oram usque plena erat margaritis, adamantibus, carbunculis, smaragdisque, cum venustis quadraginta servis albis, quorum quisque magnifico ornatu indutus erat. Hi omnes domum hor-

tumque Aladdini suá turbá compleverunt, et quum mater domum redivisset, stupens tantam hominum frequentiam domum suam stipare mirata est.

"Mea mater," sic fatur Aladdinus, "vide, amabo, ut dona mea ad Sultanum deferas, antequam Consilium Regium dimittatur," et confestim servos in ordine prodire iussit — ut quemque album unus niger, scutellam gemmarum ferens sequeretur, quorum ultimum mater pedibus sequebatur.

Incolæ pagi in viam tale agmen visum catervatim prodiverunt, atque adeo ipse Sultanus tanto spectaculo, item celeritate Aladdini in suis desideriis explendis ita fuit affectus, ut viduæ diceret:

"I, mea mulier bona, nuntiaque filio tuo, me, ad se pansis brachiis excipiendum, omnino esse paratum."

Mater cum grato nuntio domum properavit. Nuntio audito, Aladdinus extemplo evocavit genium lucernæ, docuitque eum se admodum cupere lavari, et ad sistendum se in aula præparari. Genius confestim rapuit eum in lavacrum marmoreum aquæ aromaticæ plenum, ac, post balneum, loco sui indumenti synthesin reperit sibi paratam vestium atque ornatûs, quibus similia ipse vidit nunquam. Ac, præter cuncta hæc, genius equum quoque ei attulit nobilissimum, item viginti servos, totidem servas, quæ matris indigentiis inservirent, denique etiam viginti mar-

supia[1] aureorum. Sic instructus Aladdinus ad conferendum se in regiam iter ingreditur. Inter eundum servi sui pugnos aureorum in mediam multitudinem iactarunt, se circumfluentem. Sultanus libens eum excepit, et in honorem eius magnas epulas apparari iussit; verumtamen quum de pacto connubii agebatur litteris mandando, Aladdinus sic fatus est:

"Mi clementissime Rex, connubium usque eo deferendum arbitror, dum in usum Regiæ Filiæ ædes fieri curem. Velis mihi fundum largiri haud procul a tua regia."

"Sume, mi fili, fundum pro tuo arbitrio, ubicunque velis," respondit Sultanus.

Vix domum pervenit Aladdinus, genium lucernæ statim arcessivit.

"Mi genie," inquit Aladdinus, "fac ædifices palatium e materie rarissima ac pretiosissima, Regiá Filiá dignum. Delineationem arbitrio tuo relinquam; sed in contignatione palatii suprema aulam exstruere velis cum tholo atque quatuor frontibus æqualibus; loco laterum, parietes e clavis sunto alternatim aureis et argenteis, sunto autem ibi sex fenestræ, in quibus clathra adamantibus atque smaragdis decora sunto."

Antequam Aladdinus mandata de singularibus

5. *Marsupium, -ii,* est sacculus, sæpe sericeus, cum annulo huc et illuc mobili, qui sacculum alterutrim occludit; in eo nummos aureos et argenteos gerunt.

ædificandi palatii impertivit, iam advesperascere cœpit. Postridie, primá luce genius ad Aladdinum rediit.

"Mi Domine, palatium finitum est," inquit. "Veni, inspice, videque utrum tibi placeat."

Aladdinus protinus surrexit, secutusque eum est. Nec ipse, nec quisquam mortalium tale palatium unquam conspexit. Genius Aladdinum per cuncta conclavia perduxit, in quibus servi quisque pro sua dignitate munereque indutus, parati adstabant. Exhibuit item ei ærarium in quo magna copia auri argentique apparata erat. In stabulis generosi equi præsto stabant; in cameris autem penuariis omnis generis alimenti abundantia omnium usui coacervata erat.

"Genie mi," ait illi Aladdinus, "cuncta hæc mira sunt, ad perfectionem; unum tantum deest, stragulum holosericum, per quod Regia Filia e palatio patris in suum perambulare possit."

Puncto temporis stragulum suo loco stratum comparuit, quo facto, genius Aladdinum domum suam rapuit, priusquam ostia regiæ Sultani adaperta essent.

Postquam Sultanus surrexit, relatumque ei est palatium novum — tale palatium — paratum esse, stupebat. Vespere itaque eiusdem diei Aladdinus atque Regia Filia matrimonio iuncti sunt.

PARS ALTERA.

ALADDINVS, suaque uxor, in palatio splendidissimo per plures annos felicem duxerunt vitam. Interea in Africa magus nequam, qui invitus fuerat auctor bonæ fortunæ Aladdini, artem suam usque exercebat. Utique ipse existimabat Aladdinum in cavo interivisse; aliquo tamen die sibi in mentem venit consilium fata Aladdini pro certo explorandi. Hoc itaque proposito cistellam quam habebat, adhibitá arená, in horoscopium effecit. Magno stupore inde reperit Aladdinum ex cavo effugisse, et nunc vitam magnificam, omni honore ac dignitate affluentem ducere, eumque Regiam Filiam duxisse.

"Illum igitur filium sartoris necesse est secretum lucernæ invenisse," ait secum magus. Itaque sine mora equo ephippium imponit, profectusque est caput[6] Serum versus.

Eo quum venerat, sciscitatus cuncta quæ de

6. *Caput, -itis*, n., est urbs summa, regia, urbs capitalis cuiusque gentis.

Aladdino scire cuperet, reperit, veluti de palatio, de Regia Filia Badrulbudura; præterea etiam audivit Aladdinum octo dierum spatio venatum domo discessisse.

Proximum itaque facto necessarium erat indagare ubi lucerna esset. Id vero magus ope cistellæ suæ arenaceæ exploravit lucernam in palatio esse. Quamobrem prodivit præstinavitque duodenas nitidas lucernas cupreas, quas in corbe positas per vias obambulans, ac præsertim ante palatium se sistens, venum offerebat sic clamitans:

"Quis volet antiquas lucernas cum novis emutare?"

Pueri eum circumcursabant, eumque deridebant, atque cuncti eum audientes, hominem insanire putaverunt; magus tamen eos flocci faciebat.

"Quis volet antiquas lucernas cum novis emutare?" identidem clamitabat toties præterambulando palatium, ut denique ipsa Regia Filia percontaretur, quis clamor is esset. Una ancillarum sciscitatum prodivit, quæ ridens reversa retulit quendam dementem lucernas novas in emutationem erga antiquas offerre.

Alia mulier hoc audito, "Regia Filia," inquit, "ecce in eo pegmate est quædam lucerna antiqua. Cuiuscunque ea sit, certe libenter accipiet in eius lo-

cum novam; experiamur utrum iste novam eius loco nobis revera dare velit.

Regia Filia iocum dignata, mittit ancillam cum lucerna, quam et magus erga novam perlibenter emutavit, quod satis novit in tali tantaque Aladdini palatio haud duas lucernas antiquas reperiri posse. Hoc perfecto, magus se e medio cito sustulit, lucernis novis in angiportu quodam abiectis, antiquá autem in sinu suo diligenter abditá, in agrum solitarium secessit. Hic sine mora genium lucernæ evocavit.

"Fare, quid tibi vis?" quærit genius. "Præsto adsum ad tibi obsequendum ut servus tuus, atque servus cuiuscunque qui eam lucernam in manu habeat; ego cæterique lucernæ servi."

"Fac transvehas palatium, quod hac in urbe ædificaveras, una cum incolis eius in certum locum in Africa," respondit magus.

Vix magus fatus erat, et iam palatium Regiaque Filia abrepta sunt. Postridie, quum Sultanus surrexit, ingenti stupore animadvertit nullum palatium sibi e regione esse — præter cœlum prorsus nihil videbatur.

Utique ingens undique erat consternatio. Absque mora milites missi sunt qui Aladdinum, qui venatum profectus erat, exquirerent et caperent. Sultanus, quoniam suspicabatur Aladdinum in rapiendo suo ipsius palatio, Regiaque Filia Badrulbudura, esse

implicitum, statuit eum obtruncari; at incolæ urbis Aladdinum dilexerunt, et quum palatio Sultani impetum, carnifici autem mortem minitarentur, Sultanus veniam se Aladdino ea lege daturum spopondit, ut ipse Regiam Filiam Badrulbuduram, intra quadraginta dies reperturus esset.

Quod vero ad Aladdinum attinet, is præ dolore pæne extra se raptus est. Profectus itaque est ad uxorem longe lateque quærendam, sed utique incassum, non enim reperit eam. Denique adeo pendens animi factus est, ut se aquis mergendum statueret. Quum vero fidus esset Mohammedanus, primum preces recitare constituit, et hoc consilio in amnem descendit, ut manus vultumque lavaret, et sic, secundum ritum se ad mortem præpararet. At ripa amnis erat præceps, Aladdinus cæspitavit, ac nisi scopulo, qui vix binis pedibus supra aquam e saxis prominebat pedem illisisset, certe in amnem procidisset. Ut proinde deorsum lapsabat, hoc scopulo exceptus se sustentabat, ac, boná suá fortuná, annulus, sibi a mago datus, et usque in digito gestus, saxo affricabatur. Eodem puncto temporis genius annuli comparuit.

"Fare, quid tibi vis?" quærit genius. "Præsto adsum ad tibi obsequendum ut servus tuus, atque servus cuiuscunque, qui hunc annulum in digito gerat; ego, cæterique servi annuli."

Comparitione hac improvisa beatus, Aladdinus respondit:

"Mi genie, serva meam vitam iterum, me ad locum transvehendo ubi palatium meum situm sit; aut vero revehendo palatium meum in locum ubi antea stetit."

"Alteram propositi partem," respondit genius, "ego perficere nequeo, quod ego servus annuli tantum sum; ut palatium revehatur, servum lucernæ te iubere oportebit; sed quæsitum alterum perficere possum."

Nec mora. Aladdinus eodem fere momento temporis se ante palatium suum stantem reperit. Tunc nox erat, prohinc Aladdinus sub arbore procumbens pernoctavit, sed postero die, prima luce, sub fenestris conclavis Regiæ Filiæ obambulare cœpit, si quo casu ipsa se animadverteret. Eius servorum aliquis demum herum agnovit. Regia Filia, quum novis iucundis vix fidem præstaret, ipsa denique prospectavit maritumque agnovit. Ostium illi confestim apertum est, eoque ingresso, Aladdinus et uxor, præ gaudio ac felicitate lacrymabundi, iterum iterumque se amplexati sunt.

Dein sic fatur Aladdinus: "Tui ipsius meique gratia, Regia Filia, dic mihi, obsecro, quo devenit lucerna illa antiqua, quam, priusquam venatam iveram, in pegmate aulæ reliqui?"

"Eheu," respondit illa, "perquam vereor ne ea nostri infortunii fons et origio fuerit, meque in causa esse." His dictis, narravit marito quemadmodum antiquam lucernam erga novam emutavisset, et quemadmodum postridie se cum palatio in Africam abreptam reperisset, atque eum, qui sua arte magica se transvexisset, ipsum eundem esse, qui lucernam emutasset, et etiam famulum aliquem illum agnovisse.

"Iam scio," inquit Aladdinus, "Regia Filia, quis proditor is fuerit. Dic mihi modo ubinam lucernam conditam habuerit?"

"In sinu suo," respondit Regia Filia, "ipse enim me quotidie visum venit, ac semel tamquam tropæum mihi etiam exhibuit. Ego quidem vix vel verbum ei respondeo, tamen ipse frequentare non desinit; suppliciter me exorare solet ut tui obliviscar, seque maritum agnoscam."

Aladdinus igitur rem secum deliberandam suscepit, modumque ad liberandam Regiam Filiam commentus est, quem et uxori patefecit. Mutato igitur rustici vestitu in urbem proficiscitur, atque in apotheca midicamentum quoddam præstinat. Inde in palatium reversus, Regiam Filiam subornat, ut ipsa optimis induta vestibus magum exciperet, seque maxime affabilem erga eum præberet. Dein pulveres, quos præstinaverat maxime mortiferos, cyatho indidit, quem Regia Filia vino erat expletura, atque quum

uná cœnaturi essent, nam Regiæ Filiæ erat illum hoc proposito ad cœnam invitare, atque cyathum venenatum ipsa erat illi porrectura.

Regia Filia cuncta hæc ad amussim perfecit: blandiebatur mago, eique arridenti cyathum venenatum porrexit. Is cyathum hausit, statimque retrorsum concidit. Extemplo Aladdinus intrat, rogatque Regiam Filiam ut pro præsenti in proprium conclave se recipiat, quod quum ipsa fecisset, ipse lucernam mortuo mago adimit, geniumque lucernæ confestim evocat.

"Velis, mi genie," ait illi Aladdinus, "nos omnes cum palatio in Seres, locumque pristinum palatii restituere."

Dictum et factum, et ita quidem, ut præter lenem quassationem in sublevando demittendoque palatio, nihil quidquam incommodi percepissent.

Igitur Aladdinus Regiaque Filia, tandem aliquando iterum in propria patria uná cœnaverunt. Postero mane, ubi Sultanus, ut erat sui moris, tristis e fenestris suis prospectabat, cum summo stupore videt palatium, quod iam pridem direptum erat, iterum loco suo solito stare. Quum denique eo transivisset, et ingressus palatium in eo suam filiam reperisset, tanto gaudio fuit affectus, ut filiam suam atque Aladdinum iterum iterumque amplexatus esset, et in eorum honorem magnum convivium parari iussisset.

Magus ille Africanus habebat fratrem se natu minorem, sed æque versutum atque nequam quam fuit ipse. Quum hic, ope sui horoscopii rescivisset fratrem suum maiorem natu a quodam homine plebeiæ originis, marito cuiusdam Regiæ Filiæ in Seribus interemptum esse, ad mortem eius ulciscendam sine mora iter eo suscepit. In caput itaque Serum proficiscitur, ubi quum pervenit, reperit Aladdinum eum fuisse, qui fratrem suum veneno peremisset.

Dum hic magus in diversorio quietem capiebat, e sermonibus circum se loquentium audivit quandam sagam memorari, nomine Fatimam, quæ et miracula edere, dolorem capitis quorumdam curare consuevisset. Ipse protinus de diro aliquo flagitio cogitare cœpit.

Circa mediam noctem igitur cellam Fatimæ adiit. Hanc in matta dormientem offendit, capite parieti applicito, eamque protinus suscitat, pugione pectori eius collimato.

Misella Fatima oculos aperit, visisque homine atque pugione, magnopere est conterrita.

"Clames modo, et ego te protinus compungam," alloquitur eam magus. "Nihil volo nisi tuam stolam atque ut vultum meum in similitudinem tui vultûs subornes."

Fatima igitur tremens exsurgit, et indumentum cum mago commutat. Deinde vultum magi cer-

ussá,[1] et aliquá lymphá[2] dealbat, caputque capillamento[3] adornat, quo finito, speculum illi præbet, unde ipse cernere possít, quam sui sit similis. Tum scelestissimus magus Fatimam pugione perfodit, ac prima luce e cella prorepit, quasi ipse sit Fatima, saga, atque turba eum circumfluit, benedictionem eius flagitans.

Hæc Fatima ementita, dolori capitis mederi simulans sæpius constitit, ac, denique in compitum, ante palatium Aladdini, pervenit. Regia Filia Badrulbudura, ubi turbam conspicata est, quæsivit e domesticis quid rei illic gereretur, et quum audivisset sagam Fatimam turbam ciere, misit qui eam invitaret, ut sibi benediceret.

Intromissa Fatima accessit, atque Regia Filia, quæ naturá suá piissima erat, existimavitque magum sagam esse, eum ad manendum invitavit. Pseudo-Fatima invitationem accepit, quod utique tempus precum instabat. Prandere cum Regia Filia recusavit, quod ipse solo pane, paucisque fructibus vesceretur;

7. *Cerussa*, *-œ*, est carbonatum plumbum, est pigmentum album, quo mulierculæ vultum solent fucare; Romanis mulieribus gratissimum.

8. *Lympha*, *-æ*, ex Græco *nympha*, significat proprie aquam puram et limpidam fontium ac rivulorum; sed in latiori sensu, medici adhibent de qualibet liquida concoctione, quod et Romanis medicis aquam subcutaneam in hominibus et animalibus significare solebat.

9. *Capillamentum*, *-i*, sunt capilli, sive crines falsi, coma adulterina, quales actores scœnici, atque plurimi calvi gestant.

sed finito prandio ad eam reversa est, quum Regia Filia quærebat ab eo, quid sibi de aula grandi videretur.

Fatima caput erexit. "Certe aula, ut mihi quidem videtur, magnifica est," respondit saga fucata, nec nisi una re amplius indiget.

"Una re?" quærit Regia Filia, "et quænam ea res est? Equidem ego semper existimabam aulam ex omni numero perfectam esse."

"Res unica quæ deest," ait Fatima, "pace tua dixerim, o Regia Filia, est ovum roci, quod ex tholo deberet suspendi."

"Ecquid est ovum roci?" quærit Regia Filia.

"Ovum id est avis cuiusdam ingentis, quæ Montes Caucasios incolit," respondit Fatima.

Quum denique Aladdinus e venatione rediit, Regia Filia docuit eum se ovum roci, quod ex tholo suspenderetur, comparatum habere velle. Aladdinus confestim promisit id se obtenturum. Hoc ergo consilio sine mora evocat genium lucernæ.

"Genie mi," affatur eum Aladdinus, ovum roci optarem comparare, quod in aula penderet."

Vix hoc fatus est, quum genius ingentem edidit boatum, ita ut palatium totum nutaret.

"Scelerate!" vagit genius, "necdumne satis tibi præstiti? Num vis ulterius ut ipsum meum dominum in aula tua suspendam? Pro bona tua fortuna non

tu es auctor huius propositi. Scito ergo eum, qui hanc rem postulat, fratrem esse magi Africani, esseque eum domi tuæ, sub specie Fatimæ delitescentem sagæ. Porro, consilium eius esse te trucidare: tibi itaque cave."

His dictis genius evanuit.

Aladdinus tum primum audivit Fatimam domi suæ latitare. Protinus itaque conclave petivit Regiæ Filiæ, ibique se ex capite laborare conquestus est. Regia Filia Fatimam illico acciri iubet, ut ei mederetur. Fatima appropinquabat ad eum cum pugione in cingulo abdito, sed Aladdinus rem animadvertit, ac manu, quæ pugionem tenebat arrepta, magum in corde transfixit.

"O, mi marite, quid fecisti?" clamat Regia Filia. "Sagam sanctam interfecisti."

"Mea uxor," respondet Aladdinus, "fratrem interfeci magi Africani. Iste homo scelestissimus misellam Fatimam trucidavit, se eius vestibus subornavit, et ad me occidendum huc venit."

Sic denique est Aladdinus a persecutionibus duorum magorum liberatus. Deinceps ipse atque Regia Filia Badrulbudura multos annos beati feliciter uná vixerunt, ac denique, Sultano vitá functo, Aladdinus post eum regnavit.

F I N I S.

CINISCVLA

CINISCVLA

FVIT QVONDAM Vir, qui connubium semel iterumque est expertus. Uxor posterior erat superba molesta et inhumana. Habebat autem ipsa duas filias æque difficiles, quæ pariter cum ipsa tætricæ[1] erant.

Vir autem, vicissim, ex priori uxore habebat filiam, quæ moribus mitis, proba atque amabilis erat. Noverca hanc propter eius mores probatos, unde culpæ propriarum filiarum tanto magis dignosci poterant, odio prosecuta est. Nec fuit ipsa diu nupta, antequam suam erga hanc puellam prodidit aversionem. Ex laboribus domesticis huic solebat durissimos demandare; huius erat vasa cibaria lavare, constratum lixivio[2] defricare, cubiculaque sororum purgare. Ipsa puella in subtéglino[3] pernoctare consuevit in pulvi-

1. *Tætricus, -a, -um,* morosus, rixabundus; qui altercari, iurgari, litigare solet.

2. *Lixivium, -ii,* est liquidum e percoctis, elixatis cineribus obtentum; sapo, smegma liquidum.

3. *Subtéglinum, -i,* est habitaculum, cubiculum, synœcium, sub tegulis tecti domus.

nari stramineo cubans; sed sorores conclavibus superbiebant elegantissimis, in lectis molliter stratis, speculisque instructis, in quibus se a vertice capitis ad talos usque spectare poterant.

At vero misella privigna[4] cuncta hæc humili æquoque ferebat animo, munia sibi attributa pro viribus persolvere consuevit, nec patri unquam conqueri. Moris ei erat persolutis suis muneribus in angulo camini, in medio cinerum ac titionum considere, quamobrem sorores suæ eam nomine Cinisculæ, per contumeliam, vocitare solebant.

Verumtamen Ciniscula, in medio cinerum, sordidis induta veteramentis,[5] duabus sororibus suis, licet sumptuoso apparatu vestium ornatis, oppido[6] erat pulchrior.

Tempus interea labebatur. Quodam denique die evenit ut filius regis ballistia[7] institueret, ad quæ omnes regni optimates, proceres atque universam nobilitatem invitavit. Sorores quoque Cinisculæ invitationem sortitæ sunt, unde ineffabile gaudium perceperunt. Quapropter summa in animis earum quæstio exoriebatur, diuque deliberanda, quo denique modo

4. Est puella, quæ non suam matrem, sed adventitiam, novercam habet, patris secundam uxorem.

5. *Veteramenta, -orum,* vestes antiquæ, tritæ, sordidæ.

6. Multo, longe pulchrior.

7. *Ballistia, -orum,* occasio *ballandi,* saltandi, choreas agendi.

comæ suæ concinnarentur, quibusque munditiis[8] se adornarent. Hæc omnia utique prænuntia erant augendorum Cinisculæ laborum. Eius enim erat illarum indusia,[9] albaque cuncta lavare, amylo[10] tingere, ac ferro lævigare, atque insuper, puella ita erat generosa ac liberalis, ut et comas earum se concinnaturam ultro offerret, quod artem cosmetarum[11] longe melius quam illæ callebat.

Sorores suæ novercales per biduum inediá se macerarunt, lumbos arcte coangustarunt, ut eo graciliores esse viderentur; atque, tandem, quum ille dies illuxit, Ciniscula in induendo atque adornando eas, omnibus suis munditiis, crinibusque concinnandis ipsa omnis fuit. Post hæc omnia Ciniscula domi relicta, pilentum[12] earum e longinquo prospectavit, ac tunc denique consedit, flereque cœpit. At, interim quem

8. *Munditiæ, -arum,* indumenta muliebria, ornatus, tenuiaria.

9. *Indusium, -ii,* vestis lintea mulierum intima, ut *subuculæ* sunt virorum.

10. *Amylum, -i,* est pulvis, vel farina, quæ si aqua diluatur, linteaque illi intingantur, serescentia, sive sicca, lintea rigida efficit, uti sunt collaria.

11. *Cosmeta, -æ,* est puella, ancilla, aut quæcunque alia mulier, quæ capillos mulierum lavat, perungit, defricat, calamistrat, concinnat.

12. Curriculus levis, rheda.

existimas intro venisse, quam matrinam[13] — matrina autem Cinisculæ dia[14] erat!

"Eia, Ciniscula," affatur eam matrina, "quidnam rei est?"

"Optarem," refert Ciniscula, "o, ita vellem —!" Sic affecta erat ut amare fleret, nec sententiam finire valeret.

"A, in ballistiis Principis participare volebas!" matrina explebat.

"Sic profecto!" suspirans respondit Ciniscula.

13. Ex instituto Christiano *patrinus* et *matrina* secundi parentes, nempe, *spirituales*, quippe qui sponsores sunt pro infante baptisando.

14. *Dia*, *-æ*, est Diva, Dea. Uti e fabulis poeterum tam Romanorum quam Græcorum palam est, Deos Deasque vitis rebusque humanis se ingessisse, viros mulieresque in animalia, arbores, saxa, aquas immutasse, unde et mulieres magica exercentes *Divas* fuisse; quas etiam propter sagacitatem *sagas* appellarunt. Sagæ tamen vel strigæ ordinariæ senes mulieres esse credebantur, quæ cum dæmonibus in fœdere vixissent, Divæ autem erant entia prorsus per se. Ex gestis harum miris, utique fictis tamen vulgo creditis, fabularum multitudo enata est, præsertim in Perside, unde Arabes Orientales, in Chaliphatu Bagdad, in Africam, inde in Hispaniam invexerunt, quæ inde per Franciam et Italiam in universum Christianorum orbem diffusæ sunt. Latini has Divas *Fatum*, *Fata*, vocaverunt, unde et *Fata Morgana*, quod vocabulum in Francia, in *Fée* depravatum est, artem autem Fée *fè-ériam* (uti infant*ériam*, cavall*ériam*, artill*ériam*) vocare consueverunt, quo vocabulo male intellecto, Angli *fè-érias* (fairy) ipsas mulieres appellarunt. Prohinc sincerum vocabulum Romanum retinendum, fabulosas has mulierculas *Dias*, ac *Divas*, fabulas autem istius generis *Fabulas Divales* appellandas censui.

"Recte quidem, et si te probam præstiteris, etiam participabis," pollicetur matrina. "Curre modo in hortum, affertoque mihi péponem."[15]

Excurrit itaque ipsa in hortum, optimumque quam reperire poterat péponem comparavit — tametsi haud clarum ipsi erat, quemadmodum pepo ad ballistia visenda sibi usui esse posset — eumque matrinæ suæ ante pedes posuit. Dia eum proscidit, intestína evulsit, córticem autem sua virga contrectavit. Pepo eodem temporis momento in auream rhedam conversus est.

Dehinc dia matrina inspectabat muscipulam, reperitque in ea sex vivos mures. Tum Cinisculam paullulum aperire muscipulam iussit, et ut musculi illinc singillatim evadebant, virgá sua singulos contrectavit, quo facto, singuli in generosos equos mutati sunt, sicque factum est ut sex splendidi canastri[16] equi maculati ad vehendam peponeam rhedam præsto adstarent.

"Nunc autem," prosequitur dia matrina, "egemus aliquo auriga."

"Ibo visum," ait Ciniscula, "utrum in altera mu-

15. *Pépo, -nis,* (et *e*, et *o* brevia), est fructus terræ, nasciturque in hortis et agris ex viti, humi serpenti, ex genere cucurbitarum, ut mélones et cucúmeres.

16. Quod incipit canescere, canus fieri, non omnino canus; color fere murinus, sive ceneráceus; equus non candidus, vel albus, nec furvus, sed in medio.

scipula glis captus non sit. Si est, mutabis eum in aurigam."

"Placet," respondit dia matrina, "curredum et vide."

Ciniscula cum muscipula redit, tribus magnis gliribus in ea. Glirium unus erat bene barbatus; matrina eum virgá attrectavit, qui protinus in robustum versus est aurigam, largis utrimque mystacibus,[17] quibus similes vix usquam videris.

Dia porro sic prosequebatur:

"Prodi iterum in hortum, affertoque mihi illas sex lacertas,[18] quas pone nasiternam[19] reperies."

Ciniscula fecit quod iussa est, attulit eas, quas matrina in sex pedisequos mutavit; singuli synthesi[20] flavo-viridi erant induti, qui omnes in posticum rhedæ podium subsilierunt.

"Isto denique modo ad ballistiá veheris," docebat eam matrina. "Nonne tute mihi admodum obstrictam sentis?"

17. Barba superioris labii.

18. *Lacerta, -æ*, parvulum animal quadrupes, in similitudinem crocodili, sed in terra, non in aqua vivit, coloris viridis, alioquin innocuum.

19. *Nasiterna, -æ*, est vas, nostris temporibus æneum, antiquitus figulinum, sive testaceum, quo aqua ad rigandum plantas comportari solet.

20. *Synthesis, -is*, f., Romanis indumentum fuit formale certis personis ac locis accommodatum; sed nostrum ævum id iam dudum de vestimento formali, uniformi, usurpat.

"Ita profecto; his tamen veteramentis me eo conferre nequeo," refert Ciniscula.

At dia nihil nisi contrectare debebat trita eius indumenta, quum, ecce, ea in stolam auro argentoque textam versa sunt, gemmis pretiosis fulgentem. Dehinc ipsa nitidissimas soleas vitreas, quibus pulchriores nunquam visæ sunt, Cinisculæ tradidit, eamque sic adornatam rhedam conscendere iussit.

"Verumtamen," monebat matrina, "dabis operam ut aulam ballistiorum ante mediam noctem relinquas; eá enim horá futurum est ut rheda tua in péponem, equi in mures, pedisequus in lacertam, auriga in glirem, tuus autem ornatus iterum in priora veteramenta convertantur."

Ciniscula matrinæ suæ grata spopondit se ante mediam noctem rite reversuram, ac dein gaudio et felicitate tumens palatium versus discessit tolutim[21] vecta.

Quum Regio Filio[22] nuntiatum esset quandam

21. Equi quum maxime currunt, *quadrupedare* dicuntur; quum moderatius, *currere*; quum denique lentius, *tolutim* dicuntur ferri.

22. Romani filios regum atque imperatorum nullis vocabulis distinxerunt. Per nomen *principis*, tam patres et matres, quam filios ac filias æque intellexerunt. Medio tantum Ævo inceperunt ex titulo *Princeps Iuventutis*, ipsius Octaviani Augusti, successorumque, non adeo Latine, quam linguis derivatis, filios principum *prins*, *prinseps*, prinsipissas, fœminio genere, dictitare, uti

Regiam Filiam advenisse, quam nemo cognovisset, is ipse eam intrantem excepit. Hic eam inde a rheda in aulam induxit ballistiorum; quo quum ea pervenit, summo silentio cuncti præsentes perculsi sunt, quod nemo eorum in omni sua vita puellam tantæ pulchritudinis viderat. Qui tunc saltabant, continuo cessarunt; qui fidibus canebant, extemplo conticuerunt, oculis eorum in modo intrantem hærentibus, ac leni murmure oborto cuncti susurrarunt:

"Ehem, quam ipsa amabilis est!"

Rex adeo ipse, ætate provectior, oculos ab ea avertere nequibat. Ex diutissimo tempore — susurrabat Reginæ — se tam formosam venustamque virginem non vidisse.

Cunctæ matronæ mirantes aspectabant eius stolam, calthulam, tunicam, totumque muliebre ornamentum, ab invicem sciscitantes, utrum sutrices[23] reperiri possent, quæ indumenta his similia conficere valerent. Regius Filius eam ad editissimum locum adduxit, petivitque ab ea ut primas secum choreas

abbatissas, pro abbate. At hæc non sunt Latine dicta, ideo eis uti supersedeo, vocoque filios regum *regios filios*, filias autem *regias filias;* sed lingua Ecclesiastica *Abbatissam*, tamquam terminum technicum non abnuo.

23. *Sutrix -icis*, est mulier quæ suit, hoc est, quae indumenta muliebria conficit; at sutor, masculino genere, non vestes ex panno, sed calceos suit, confector autem vestium virilium *sartor* est.

agere vellet, quæ quidem tantá elegantiá ballabat, ut novam omnium admirationem ad se raperet.

Ad cœnam Regius Filius ita mersus erat Cinisculam contemplando, ut plane nihil delitiarum, quæ dapinabantur,[24] attrectaret. Quod ad Cinisculam attinet, ipsa solerter dabat operam ut prope sorores suas accumberet, et his complura exquisitorum fructuum genera, a Regio Filio sibi oblata vicissim præberet; atque insuper tam benignam et humanam se erga eas præstitit, quæ quidem admodum mirabantur, quoniam ne suspicari quidem valebant quæ ea esset.

Denique ut ibi discumbebant, Ciniscula animadvertit horologium undecimam cum dodrante[25] sonare. Itaque protinus surrexit, proclinans se convivis commendavit, atque se ex medio sustulit. Redux matrinam domi offendit præstolantem. Postquam ei gratias egit, certiorem eam fecit se etiam alias eodem ire in votis habere, quod Regius Filius se in proximam quoque vesperam ad choreas invitavit. Dum interea matrinæ suæ cuncta quæ, et quemadmodum illic gesta erant, ex ordine narrat, ecce duæ sorores pulsant ostium, quod Ciniscula iis aperuit.

"Vos quidem nimium moratæ estis," affatur eas

24. *Dapino, -are, -vi, -tum*, dapes, sive cibos,mensae appono.

25. *Dodrans, -tis*, m., est tertius quadrans, ¾.

Ciniscula oscitans, oculosque fricans, acsi modo expergefacta esset.

"A, si modo tu ballistiis interfuisses," respondit una sororum, "certo scio tute non tam somnolentam præbuisses. Omnium enim puellarum regiarum, quæ uspiam reperiri possent, pulcherrima ibi intererat; ipsa sese erga nos maxime affabilem officiosamque præbuit, nosque nonnullorum fructuum maxime delicatorum participes reddidit."

"Itane, revera?" quærit Ciniscula. "Et quodnam ei erat nomen?"

"Atqui hoc ipsum est, quod nemo nostrum novit," referunt sorores, "quamvis Regius Filius nescio quo præmio secretum redemisset."

"Quam vellem illam venustam virginem videre!" fatur denique. "Numne velles mihi unum indumentorum tuorum commodare, mea soror, ut et ego ballistiis interesse eamque cernere possim?"

"Quid? commodare tibi, vescula[26] cineraria, indumentum *meum!*" regerit soror. "Non equidem Ædepol!"

Utique id prorsus erat responsum quod Ciniscula a sorore exspectabat; quin etiam ineptum fuisset si illa sibi suum indumentum commodasset, nam postea

26. *Vesculus, -a, -um,* est idem ac vetusculus, addito tamen ulteriori sensu parvitudinis, exilitatis, macroris et macilentiæ, estque contumeliosum.

quam sorores proximo vespere ad ballistia profectæ sunt, Ciniscula quoque, etiam multo ornatior quam antea, eas mox secuta est.

Regius Filius eam magna cum voluptate excepit, nec ab ea per totum tempus separari sivit, multis verbis lepidis blanditiisque eam prosequebatur, Ciniscula autem societate Regii Filii adeo delectabatur, ut moniti matrinæ suæ, ne ultra mediam noctem superstitaret, plane memor non esset. Horologium itaque iam horam duodecimam pulsare cœpit, antequam Ciniscula undecimam esse cognovisset. Itaque confestim in pedes consiliit, et ex aula celerrime quam poterat effugit, damæ currenti haud dissimilis. Regius Filius insequitur, at perperam, eam consequi non poterat. At Ciniscula inter currendum alteram solearum vitrearum abiecit, quam inventam Regius Filius sustulit.

Denique Ciniscula domum anhela pervenit, absque rheda aut pedisequo, suisque veteramentis induta. Omnis suus ornatus evanuit, ac præter pusillam soleam vitream prorsus nihil ex omni sua magnificentia erat reliqui.

Interea in palatio a vigilibus diligenter disquisitum est, utrum quis Regiam Filiam præterire vidisset; hi tamen responderunt nullam aliam mulierem se animadvertisse quam pannosam quandam puellam rusticam.

Quum sorores domum reverterunt, Ciniscula sciscitabatur ab iis utrum tantundem delectamenti quantum antea ibidem percepissent, atque utrum mira illa Regia Filia iterum interfuisset. Hæ retulerunt eam quoque interfuisse, narraruntque quemadmodum media nocte, uná suarum solearum vitrearum deiectá, profugisset. Præterea etiam docuerunt Cinisculam Regium Filium soleam illam vitream sustulisse, ac multum et diu eam demiratum esse. Denique subiunxerunt, Regium Filium pulchram illam et ignotam puellam, quæ soleam amiserat, sine dubitatione deperire.

Nec in ea re erraverunt. Etenim mox post a præconibus quaquaversum tubarum clangore proclamatum est Regio Filio in votis esse eam puellam, cuius in pedes pusilla solea vitrea quadraret, connubio sibi iungere.

Hoc audito, quæque puella cœpit soleam vitream tentare — prius quidem filiæ principum, ducum, tum aliæ puellæ aulicæ. At cuncta hæc incassum, quoniam solea vitrea pedi nullius conveniebat.

Successu temporis Regis præcones ad eam quoque domum devenerunt ubi Ciniscula habitabat. Quæque sororum eius pro viribus tentabat pedem soleæ inserere, eam tamen inducere nullo pacto valuerunt.

Ciniscula testis eius conatús, agnovit suam soleam,

ac tandem sic fata est: "Sinite, quæso, ut et ego tentem, siquo casu meo pedi conveniat." Sorores adstantes deriserunt ac ludificaverunt eam. At nuntius, qui soleam tenebat, animadverteratque quam Ciniscula pulchra esset, docuit eas sibi demandatum esse, ut cunctis puellis regni soleam tentandi æquam facultatem largiretur, proin puellam considere iussit. Ciniscula pedem soleæ vitreæ prorsus sine omni labore ingessit, eaque pedem ad amussim quadravit.

"Va — va —" exclamant sorores attonitæ.

Quum vero Ciniscula alteram soleam e sacculo suo exprompsit, stuporis ac mirandi nullus erat finis. Atque dum usque stupefactæ stabant, dia matrina intervenit. Ipsa sua virgá nunc indumenta Cinisculæ attrectavit, et isto uno tactu effecit, ut indumenta puellæ etiam in magnificentiora verterentur quam quæ antea gesserat.

Nunc demum sorores agnoverunt eam veluti ignotam illam virginem in ballistiis, quo facto sese ad pedes eius prostraverunt veniam eius efflagitantes ob cuncta quibus in eam per invidiam peccaverant.

Ciniscula brachiis propansis eas sublevavit et deosculata est, cunctaque erga se minus generose dicta et facta eis condonavit.

Denique Cinisculam ad Regium Filium in palatium, indumentis divis indutam et adornatam devexerunt, cui eadem etiam pulchrior quam antea vide-

batur. Paucos dies post nuptias celebraverunt, quibus peractis, Ciniscula, quæ tam proba erat quam venusta, duas suas sorores in palatium, ad secum habitandum, invitavit, ac tandem singulas singulis proceribus aulæ in matrimonio collocavit.

F I N I S.

PVLCHRITVDO CONSOPITA

PVLCHRITVDO CONSOPITA

FVERVNT quondam rex et regina, qui quum liberorum orbi essent, ex ea re ingenti dolore afficiebantur. Denique nata illis filiola est, ad quam baptizandam mira pompa regia apparabatur. Quotquot diæ in regno reperiri poterant — fuerunt autem earum septem — in matrinas Regiæ Filiolæ accersebantur, ita ut si quæque dia munuscula baptismalia, ut eius ævi consuetudo secum ferebat, ei contulisset, cunctis gratiis dotibusque animi ornata esset.

Baptismate peracto, omnes qui intererant in regiam convenerunt, ubi in honorem diarum magnificæ epulæ erant apparatæ. In unoquoque accubitu patina[1] erat posita ex auro solida, item cochlear, culter ac fuscinula, ex auro purissimo, adamantibus atque

1. *Pátina*, -æ, est vas mensale testaceum, figulinum, myrrhinum, argenteum, aut, ut hic fingitur, aureum, sphæricum ex quo cibos capimus. *Ius*, *iusculum*, sive *sorbitionem* ex profundiori patina *cochleari* haurimus; *carnes*, aut alia solida *fuscinula* detinemus, atque *cultro* carpimus, scindimus.

carbunculis insitis decora. Ut vero discumbere cœperant, senem diam conclave intrare animadverterunt quæ ad convivium invitata non erat, quod turrim suam, quam incolebat, per quinquaginta annos non reliquerat, unde sive mortua, sive fascinata esse vulgo existimabatur. Rex quidem iussit accubitum ei protinus apparari, aurea tamen mensæ supellex, ut reliquis, quod septem diabus totidem fieri iussæ essent, ei præponi non poterat. Vetula itaque dia se sperni existimabat, quamobrem secum minas mutire audiebatur. Quum has minas dia iuvenis ei vicina auribus excepisset, suspicata est futurum ut vetula saga[2] Regiæ Filiolæ aliquid infausti atque horridi doni loco infligere meditaretur, quamprimum a mensa discessum erat, clanculum secessit, seque pone aulæum recondidit. Hoc autem ideo fecit, ut ipsa postrema in alloquendo sequi, et sic, siquid infausti a vetula striga patratum esset, ipsa, quoad posset, compensaret ac damnum repararet.

2. *Saga*, *-æ*, striga, vetula, senex mulier. Paucis sæculis ante quædam mulierculæ senes credebantur, ex fœdere cum diabolis, ita sagaces esse (unde nomen), ut fata præscirent, et ideo vocabantur "fatidicæ," oculis fascinare, ægritudines infligere, potus amorosos ac venena miscere, verbis et incantationibus fluctus, terræmotus, incendia, pestilentiam inducere, et ad nocturnos conventus dæmonum manubriis scoparum insidentes per æra convolare. Centenæ harum misellarum mulierum ex ignaro et inscio fanatismo flammis, inspectante populo, combustæ interiverunt.

Tempus interim venit quo quæque dia ediceret quæ munera ac dotes Regiæ Filiolæ singulæ impertire vellent. Natu earum minima edixit ut infans inter omnes totius mundi puellas maxime amabilis evaderet; proxima, ut eadem omnium maxime ingeniosa ac vafra esset; tertia, ut ea in cunctis quæ gestura esset, gratiâ sine macula præclareret; quarta ut ipsa saltatione omnes excelleret; quinta, ut ipsa cantu lusciniam adæquaret; denique sexta, ut eadem omnibus instrumentis musicis pulsandis omnium doctissima fieret.

Tandem ad senem diam ventum est, quæ capite magis ex succensione quam ætatis imbecillitate tremente, quod se neglectam existimabat, prænuntiabat futurum, ut Regia Filia unum digitorum fuso[3] læsu-

3. *Fusus, -i,* est tigillum (lignum parvum), teres, in medio digiti minimi crassitie, inde autem ad ambas extremitates sensim in tenuitatem desinens, parvulo disculo prope ab inferiori fine. Netrix sedet iu scamno, super tenue ac planum tigillum cuius extremitati, ad lævum netricis, infixa est colus, huic autem illigatum est pensum, sive manipulus cánnabis, sive lini, ex quo netrix læva manu licia deductat, cuius extremun fuso est alligatum, quem digitis versat, hic autem verticillo licia torquendo in filum torsitat, quod circa disculum fuso glomeratur. Hic fuit modus nendi ex omni antiquitate, donec *rotaculum* inventum est, quod pede impellitur, nec netrix fuso amplius eget. Proinde omnes delineatores errant quum netrices repræsentant fuso in manu, pede autem rotaculum agentes, quod hæc duo sese mutuo excludunt, nec simul exsistere queunt. Puellula igitur regia poterat digitum vulnerare fuso, non autem rotaculo, quod digitis prorsus nihil agit, nisi licia ducit.

ra, indeque moritura esset. Hoc effatum sagæ universos magno horrore perculit, nec quisquam eorum lacrymas cohibere potuit. Eodem ipso temporis momento iuvenis dia ex suo pone aulæum latibulo prodiit, et hæc verba protulit: "O Rex, atque Regina, forti este animo, filia vestra non morietur. Fateor quidem me id, quod senex saga fecerat, omnino infectum reddere nequire; Regia enim Filia digitum suum fuso revera scarifabit, non tamen morietur; attamen ex vulnere in profundum consopietur somnum, nec ante centum annos inde expergiscet, quo tamen tempore exacto filius cuiusdam regis veniet, eamque expergefaciet."

Rex quidem immanem calamitatem a saga prænuntiatam, omni modo avertere conabatur evulgato decreto, nequis suorum subditorum in nendo fuso uteretur, aut etiam fusum in sua potestate haberet, et hoc sub pœna capitis.

Post exactos quinosdenos aut senosdenos annos, dum rex reginaque in villa sua ruri agebant, evenit, ut adolescentula Regia Filia quodam die totam regiam percursaret, et postquam plurima cubicula pererrasset, tandem in quoddam cubiculum subteglinum in summa turri intraret, ubi anus solitaria nendo esset intenta, quæ de edicto regio nunquam audivisset, quo de usu fusi omnibus interdictum esset.

"Heus, muliercula bona," affatur eam puellula, "quidnam hic agitas?"

"Neo, mea dilecta," respondit anus, ignara quæ puellula ea esset.

"O quam præclarum est!" prosequitur Regia Filia. "Et quonam modo id agis? Sine ut ego quoque id tentem, utrum idem facere possim."

Sumit itaque fusum, sed quum hoc præceps egisset, minusque cauta — præterea quidquid dia vaticinatur, necesse est evenire — digitum eo scarifat, protinusque intermortua concidit. Anus admodum conterrita est, opemque clamitando flagitavit. Homines undique concurrunt, aliquis vultum eius aquá aspergit, alius vestes eius solvit, tertius manus eius pulsat, iterum alius tempora[4] eius aquá Coloniacá[5] perfricat; cuncta incassum, permanet intermortua.

Tum rex, auditis novis, in regiam celeriter redit, recordaturque dicti diarum, et quum intellexisset id quod diæ dixissent necessario evenire, filiam in præstantissimum quod habebat in regia cubiculum devehi, et in lectum, lodicibus lectisterniisque auro et argento acupictis constratum collocari iussit. Ipsa vero

4. *Tempus, -oris*, n., duo latera capitis.

5. *Colonia Agrippina*, modo Cöln, urbs est Germaniæ, a qua nomen traxit suaveolens quædam aqua, vocaturque *Aqua Coloniaca*.

tam erat pulchra etiam dormiens, ut angelum eam crederes, color enim vividus et rosaceus vultum eius non reliquit, genæ etenim eius roseæ, labella vero tamquam coralla erant, palpebræ autem clausæ quidem erant, eam tamen leniter spiritum ducere circumstantes clare audiebant, unde pro certo intellexerunt puellam mortuam non esse. Rex itaque omnibus demandavit ut filiam placide dormire sinerent usque ad horam, qua sua sponte evigilatura esset.

Dia bona, quæ vitam puellæ pretio soporis centum annorum servaverat, eo tempore quo infortunium Regiam Filiam supervenit, in regno Mataquinæ millia passum duodena dissito aberat. Attamen ipsa id a quodam pumilo intra bina momenta inaudivit, quippe qui cothurnos habebat septenum milliariorum; hi enim erant cothurni, quibus quoque gressu septena milliaria, qui eos gereret, emetiri poterat. Dia igitur sese confestim itineri dedit, atque intra horæ spatium igneo insidens plaustro, draconibus vecto, ante regiam constitit. Quum rex ei porrecta manu in descendendo de plaustro adstitisset, hæc amicis verbis certiorem eum fecit se probare cuncta quæ rex statuisset; verumtamen quum ipsa longe præprævideret futura, monebat eum vetus istud palatium, quum filia experrectura esset, nimis fore solitarium; itaque operi se accinxit, sumpsit suam virgam, demptoque rege atque regina, unumquemque in palatio contrecta-

vit: nutrítias,[6] cubicularias[7] honorarias, ancillas, aulicos, officiales, pincernas,[8] cocos, lixas,[9] cultrarios,[10] vigiles, baiulos,[11] pædagogianos,[12] denique caculas.[13] Quin, insuper, etiam equos in stabulis, equisones,[14] et aurigas, perinde ac molossum[15] in area, ac, deniquue, caniculum simum,[16] qui in lecto Regiæ Filiæ dormire consuevit, singillatim contrectavit.

Simul atque hos omnes tetigerat, universi consopiti sunt usque eo dormituri, donec domina ipsa evigilatura esset, eorumque ministeriis egeret. Quin et ipsæ varæ[17] focales in culina, cum verubus, quibus

6. Non sunt *nutrices*, sive *nutriculæ*, quippe quæ infantes nutriunt et curant, sed mulieres doctrina quadam imbutæ, quæ proles opulentiorum linguis peregrinis exercitant, docent, disciplina scholastica atque domesticis moribus civilioribus verbo et exemplo docent et educant.

7. Matronæ, quæ honoris causa reginæ adstant.

8. *Pincerna*, *-æ*, m. f., qui mensæ inservit.

9. *Lixa*, *-æ*, m., adiutores coci sic vocantur.

10. Lanii, sive laniones, sunt mactatores animalium pro culina, aut etiam in usum publicum.

11. Qui baiulant, sive portant onera.

12. Adolescentuli nobiles ad servitium regis.

13. *Cacula*, *-æ*, m., servus ad personam.

14. Stabularii servi sunt *auriga*, qui equos agit; *proriga*, adiutor eius puer; *agáso*, atque *equiso*, qui equos atque stabulum purgant, equos alunt, adaquant, necessariosque labores circa stabula perficiunt, equosque hamaxant.

15. Genus magnorum canum.

16. *Simus*, *-a*, *-um*, de eo dicitur qui obtuso naso est, unde *simii* appellati sunt.

17. *Vara*, *-æ*, est lignum bifissum, bifurcatum, tamquam

perdices atque phasiani ad assandum erant infixi, consopiti sunt cum igne unâ. Hæc omnia puncto temporis evenerunt; divabus enim agentibus, nihil temporis intercidit.

Tum rex atque regina, postquam dilectam suam prolem deosculati essent, quin filia sese commovisset, regiam dereliquerunt, mandatis in universum regnum dimissis, nequis omnino palatium appropinquaret. Cæterum his mandatis opus haud erat, namque intra quadrantem horæ circum hortos lucumque tanta multitudo celsarum arborum atque humilium, tanta densitudo fruticum, dumeti, veprium atque spinarum ita inter se plexarum accrevit, ut nec homines, nec feræ eo penetrare possent, ac profecto, ex tota regia, præterquam tecta turrium, et hæc ex longinquo tantum, cerni posset. Nec est plane dubitandum quin et hæ cautelæ opus diæ essent, et eo quidem consilio, ut dum Regia Filia dormiret, ab oculis curiosorum nihil verendum haberet.

Exactis demum annis centum, casu fortuito evenit, ut filius cuiusdam regis tunc regnantis, ex diversa familia quam cuius puella dormiens erat soboles, iis in partibus venaretur. Conspectis turribus e vastis

duo cornua; *focalis*, quod duæ varæ, una ex utraque parte foci, sive ignis, stare solet, transversum quas veru, cum carne infixa collocatur versaturque super ignem ad carnem undique æque assandam.

sylvis albicantibus, anquirebat ab accolis, quæ eæ res essent. Rustici regionis ei narraverunt quæ fando ab avis audiverunt. Eorum aliqui retulerunt vetustum illud esse castellum a spectris infestatum; aliis placuit locum eum esse ubi cuncti eius regionis magi congregari, lauteque agere consuevissent. Maxime tamen vulgata opinio volebat monstrum quoddam anthropophagum[18] illic sedes fixas habere, quod omnes quos capere posset pueros, rapere, ac per otium devorare soleret. Monstrum illud persequi neminem posse aiebant, quod præter illud ipsum densas sylvas nemo penetrare quiret.

Regius itaque adolescens nec quid, nec cui crederet, scivit. Aliquis denique rusticus ætate provectior hæc narrabat adolescenti: "Celsissime Princeps, plus quam quinquaginta ab hinc annis audivi aliquem patri meo narrare, aliquam ibi latere Regiam Filiam, omnium in orbe terrarum pulcherrimam. Eam ibi centum annos dormiendo degere oportuisse, foreque ut aliquis Regius Filius eam post lapsum centesimi anni expergefacturus esset." Auditis his Regius Iuvenis animo admodum commotus est. Nihil enim dubitabat id sibi a fatis commissum, ut soporem puellæ rumperet, insuper et amore atque ambitione etiam accensus, continuo statuit experiri, utrum relata vera essent.

1. *Anthropóphagus*, *-i*, carne humana vescens.

Quamprimum gressus suos adversum sylvam direxerat, arbores proceræ, perinde atque humiles, dumeta ac frutices, vepres atque sentes ante eum recesserunt, eique viam ultro patefecerunt. Itaque celeri gressu adversum castellum properabat, quod quasi per longum xystum[19] sese visui suo offerebat, quod quum assecutus esset, sine mora intravit, sed animadvertit nullum suorum secutum esse, quod arbores ac dumeta pone se viam iterum occluserant. Ipse tamen nihil dubitans progrediebatur; quisque enim Regius Iuvenis amore succensus fortissimus est. Igitur pervenit in aream internam, ubi quæque viderat, facile cuique formidinem incutere poterant; profundissimum ibi vigebat silentium; circumquaque corpora hominum atque iumentorum conspiciebantur, quæ cadaverum speciem referebant. Verumtamen de pustulosis nasis, rubicundisque genis baiulorum facile agnovit hos omnes dormire tantum; præterea de poculis circa eos, e quibus poculis nec paucæ guttæ deerant vini, cito intellexit hos inter potandum somno oppressos fuisse.

Inde præterivit aream marmoribus stratam, ascendit gradus, ingressusque est cubiculum præsidii, ubi vigiles in ordine stabant, sclopeta[20] in humeris gerentes, cuncti stertentes. Plura dein conclavia pe-

19. *Xystus, -i*, ordines arborum, cum ambulacro in medio.
20. Arma iaculatoria igniaria.

netrabat, in quibus viri aulici matronæque, aliqui stantes, alii sedentes, omnes tamen somno capti visi sunt; tum intrabat cameram auratam, ubi aulæis ex parte revulsis, in lecto aliquid, in omni mundo visu pulcherrimum conspexit: Regia Virgo, quæ vix quindecimum aut sedecimum ætatis annum agere videbatur, iacebat, cuius effulgens pulchritudo prope cœlesti splendore radiabat.

Accessit proinde iuvenis non sine tremore omnium artuum, affectusque mira delectatione atque admiratione, iuxta lectum ad genua procidit. Tum deinde, quum tempus rumpendi fascini advenisset, Regia Virgo oculos adaperuit, visoque iuvene, eum summa teneritudine, quam haud experiri solent qui primum inter se conveniunt, sic affatur:

"Tune is es, Regie Iuvenis? Ohe, quam diu a me exspectandum tute præstitisti!"

Verbis his admodum delectatus, modo autem benigno atque amabili quo proferebantur etiam magis affectus, Regius Iuvenis haud scivit quemadmodum suum gaudium, animique grati sensum satis apte aperiret; tandem professus est se eam ipsá suá propriá vitá chariorem habere. Cæterum iuvenis confusior erat quam Regia Virgo, quod nec mirum videri debet, quandoquidem puellæ per tempus licebat perpendere quid iuveni dictura esset. Verosimile etenim est — quamvis historia id non referat — bonam diam

longo isto somno ad suggerenda ei suavia somnia non defuisse. Cæterum quidquid fuerit certum est eos quaternas horas delectabili colloquio exegisse, neque etiam tunc vel dimidium earum omnium rerum quas alter alteri narrare cupiverat, penitus exhausisse.

Interim iuxta cum Regia Filia omnes incolæ palatii evigilaverunt. Hoc facto, singuli sua quæque munia obire cogitabant, et, quoniam non omnes amore calebant, magna fame urgeri cœperunt. Domnædia[21] regiæ, ipsa ut cæteri famelica, Regiæ Filiæ sine mora nuntiabat cœnam paratam esse. Regius Iuvenis puellæ, e lecto surgenti, adiumento aderat: ipsa utique omnino erat adornata, et hoc magnificentissimo modo, ipse tamen cavebat ne ei proderet indumenta sua speciem modi veterati, suæ aviæ, præ se ferre, cum collari rigido grandi ac striato circa collum. Id tamen nullam partem suæ pulchritudinis detraxit. Cœnaculum grande, speculis undique refulgens intrabant, ibique cœnaverunt, pincernis regiis mensæ inservientibus, dum fides[22] atque buccinæ antiquas, licet perquam dulces accinebant melodias, centum annis a nemine auditas. Post cœnam denique capellanus[23] aulicus, in sacello regio, haud longá interpositá morá, eos vinculo matrimonii iunxit.

21. Procuratrix, administratrix domus.

22. *Fides*, *-ei*, f., etiam significat chordas instrumentorum musicorum, et hinc ipsum quoque instrumentum musicum, *pandura*, numero plurali, propter quinque fides, *fides* vocatur, quæ *plectro* perstringitur.

23. Sacerdos aulicus.

F I N I S.

PVLCHRITVDO ATQVE BESTIA

PVLCHRITVDO ATQVE BESTIA

FVIT QVONDAM mercator opulentus, qui sex habebat filios totidemque filias. Opibus hic ita affluebat, ut quidquid liberi sui appetivissent, etiam obtinere possent. Filii sui candidis equis auro loricatis in scholam equitabant, filiæ autem pupas[1] suas vesticulis gemmatis induere consueverunt. Venit tamen aliquando dies, quando nuntiatum ei erat, se omnem suam pecuniam perdidisse. Naves suæ magna tempestate afflictatæ ac fractæ sunt, earumque thesauri unà mersi in fundo maris iacebant. Unde futurum erat, ut ædes suæ pulchræ hortique hastæ[2] subiicerentur,

1. Est imago lignea, aut e gypso, vel e qualibet materia, in similitudinem plerumque puellulæ ficta, quam parvulæ fœmellæ vestibus induunt, in pectore fovent, atque ea tamquam proprio infante lusitant.

2. *Hastæ subiicere*, sive sub hasta vendere, est bona mobilia, aut immobilia, propter debita, publica auctione, *licitatione*, altissimum pretium offerenti vendere. Mos enim erat apud Romanos per præconem *hastam*, sive lanceam, ante locum in terram defigere, sicque prætereuntes ad publicam auctionem invitare.

nec ulla domus sibi, suæque familiæ relinquenda esset ubi vitam agerent, nisi casa humilis, quæ in media sylva ab oppido longe dissita, relinqueretur.

Quum liberos hæc nova docuisset, filii conabantur fortes se præbere, patremque certiorem fieri volebant se paupertate nihil moveri, daturosque se operam ut suis laboribus ei adiumento adessent; at filiæ, ob necessitatem pulchra sua cubicula, vestes gemmasque linquendi acerba ciebant lamenta. Sola filia natu minima, non flebat. Imo, in casa, in mediis sylvis recondita, vitam degere sibi etiam gratum fore putabat.

Filia, natu minima, inter omnes sex maxime amabilis erat; tantæ ipsa erat pulchritudinis, ut nunquam aliud nisi Pulchritudo vocaretur. Quum in novam suam casulam commigrarunt, ipsa operam ovibus dabat, et etiam maximam partem laborum domesticorum suscepit. Fratres sui dies singulos in agris laborando exegerunt, sed sorores vix quidquam præstiterunt, atque tempus loquelis triverunt, invicem narrendo quam optarent ut iterum opibus affluerent, suisque quæque votis potiretur.

Aliquo tandem die ad mercatorem famá perlatum est unam suarum navium, quam fractam ac mersam acceperat, salvam in portum pervenisse. Hinc fore sperabat ut magnam partem suæ pecuniæ recuperaret, quocirca monuit suos liberos se, ad rem pe-

nitus explorandam confestim iter in eum locum carpturum. His secundis novis liberi omnes magnopere excitati, iam pro certo existimaverunt se in eundem locum opulentiæ restitutum iri, quo antea fruerentur, ac præsertim filiæ enixe ab eo flagitaverunt, ut redux, dona sibi referret.

"Tam diu iam nihil ad gerendum habuimus, nisi pannos,[3] conqueritur adultissima. "Age, mi pater, ferto mihi indumentum quod reperies splendidissimum. Indumentum autem sit sericeum, arcús cœlestis instar, cunctis diversis coloribus tinctum."

"Mihi autem," fatur altera, "gemmas ferto. Monile[4] e carbunculis et sapphiris."

"Mihi vero," rogat tertia, "ferto stolam[5] byssinam,[6] telá subsutam,[7] auro textam."

3. Præter materiam vestium, *pannus*, etiam laceras ac tritas vestes, ac frusta vestium abiecta et sordida, sive *centones* quoque significat, ut hic.

4. Catenula aurea, in collo gesta; sed etiam alia eius generis aurea ornamenta *monile* (*-le*, *-is*, *n.*) appellantur.

5. *Stola*, *-æ*, proprie est pallium muliebre, uti *palla;* est vestis ornata ac sumptuosa, gerebatur autem plerumque a matronis in publico, sed etiam ab aliis, certis occassionibus, uti a musicis; denique a sacerdotibus Deæ Isidis, quæ Romæ, sub Imperio statuis Deæ prælatis, magna solemnitate, processionibus, mysteriis, quibus secreto initiandi sacerdotes cultoresque erant, magnis sumptibus, magna pompa, rituque magnifico coli atque celebrari consuevit.

6. *Byssus*, *-i;* *-um*, *-i*, est tela linea, lintea, sed et gossypina optimæ sortis, uti *sindon*, valor tamen præsertim ex tingen-

"Mihi feres pectinem aureum, gemmis variis consitum, quem in coma geram," petit quarta.

"Fer mihi calceos, adamantibus insutis," flagitat quinta.

"Tu autem, Pulchritudo?" quærit mercator, "Quidnam tibi afferam?"

"Velis mihi rosam ferre," respondit Pulchritudo.

Sorores eam deriserunt. "Va, rosam tibi expetis quum possis quamlibet rem ad arbitrium postulare!" exprobrarunt sorores.

"At ego rosam tantum cupio habere," refert Pulchritudo. "Nulla enim in horto nostro est."

Mercator igitur abequitavit, ac post aliquot dierum iter in portum pervenit. Ei in portum advenienti relatum est suam navim a piratis impetitam atque compilatam[8] fuisse, nec ullam partem thesauri in navi relictam. Æque miser itaque erat nunc, quam an-

do æstimabatur, nempe si fuerit bis tinctus, aut purpureus, coccineus, flammeus, croceus, clavatus, aut auro, vel argento intextus.

7. Hoc est, ut ei panno, vel bysso, alia tela subter, ab interiori, subsuatur, ut tegmen sit duplex, gravius, proinde calidius. Romæ id non videtur universim in usu fuisse; nam secundum statum civium ac tempora anni, indumenta erant adaptata, uti sagum, paludamentum, læna, gausapa, pænula, secundum æstatem, hyemen, sudum, pluviam alia et alia gererentur; ipsa adeo toga laciniis solebat tegi contra frigus ac pluviam; spissiora autem indumenta uno verbo *pinguia* appellabantur.

8. *Compilare*, est spoliare, despoliare, exspoliare, uti latrones, perfractarii, prædones, piratæ facere solent.

tea. Attamen diutius ibidem morandum ea spe statuit, ut aliquid certioris de piratis experiretur, siquo casu partem suæ pecuniæ recuperare posset; at vero quum post exactos aliquot menses nihil de ea re comperisset, rebus infectis domum ei redeundum erat.

Munusculorum, quæ filiæ ab eo flagitaverant, comparavit nullum; cuius rei conscientia animum suum admodum contristavit. Quin ne rosam quidem, quam Pulchritudo petiverat, comparare valebat, quod nunc iam tempus hibernum erat, et ideo nulla comparari poterat. Colles circumquaque nivibus uberrimis erant obsessi, solique equitanti acerbissimum frigus erat perferendum. Nec itaque mirum si frigore atque inediâ[9] fere confectus erat, quibus malis accessit mala fortuna, quod a via sua aberravit. Scilicet nives callem prorsus oblitterarunt, nec ullum exstabat indicium quo iter suum dirigere potuisset. Iam postmeridiem erat, nec parum sollicitabatur ne nox illi superveniret, prius quam suffugium reperire posset.

Iter suum paulisper prosecutus, ante se protinus vastum conspicatur xystum malorum[10] aurantium,

9. Fame.

10. *Mala Aurantium*, Linnæo *Citra Aurantium*. Verum si fatear, hunc terminum technicum non intelligo. Ego, ex mea parte, hæc mala *aurantia* voco, quod *aurare, aurans*, sunt vocabula Latina, proinde etiam *aurantes, -tia;* sed cur Genitivus Plu-

floribus fructibusque onustarum, acsi media vigeret æstas. Prohinc sursum xystum equitat, moxque se in medio reperit pulcherrimi horti. Nullum hic vestigium cernebatur nivium, aut gelidi venti. Flores circumquaque vigebant. Statuarum in horto nullus numerus. Hæ ubique stabant, sub arboribus, in cæspitibus, quaquaversum in lucis atque ambulacris.

Medio in fundo palatium stabat. Mercator latos gradus lapideos a fronte palatii haud dubitabundus conscendit, penetratque ostia in fastigio graduum late propansa. Perambulat ambitus, pluraque conclavia, unum post alterum. Cuncta inania hiabant. Strepitum propriorum gressuum resonantem, ut ambulabat, nec quidquam aliud audiebat. In uno cubiculorum conspicatur amplum grabatum.

Quum frigore tædioque itineris admodum esset lassus, in grabatum paulisper decubuit. Vix unum

ralis, et quid maiusculum A velit, ignoro. Nullum enim locum, nullam gentem eius nominis scio, quorum ea propria sint. Romanis, teste Plinio, mala hæc ut *Médica* erant nota, quoniam ex Média originem duxerunt. Unum ergo superest quod coniici liceat, nempe imitatio per assonantiam verbo Arabico *narandsh* (sonus sibilus gratuitus) ex Persico, *narang;* ab Arabibus autem eodem fere sono sibilo Francis *oranzsh,* Anglis, denique *orandzsh,* cui quidem Auran*tium,* si Germanico more efferatur ut Auran*t*zium, Latinum Aurantium, æque atque "aurantia," assonaret. Et hoc credibile est, quoniam et principatus *Aurania,* eiusque incolæ, vulgo *Orandzsh* appellantur, quamvis nullum soni sibili ibi sit vestigium. Ego tamen rectius censeo *malum aurans,* propter aureum colorem, atque aliquem sensum, quam nullum sensum.

minutum oculos clauserat, iam altero obstupidus aperuit. Ante enim se mensulam conspexit, cœná maxime opipará constratam. Quum ipse decubuerat, hæc certe ibi non stetit, nec ullo modo capere poterat qua ratione mensula cœnaqua eo perferri poterant. Verumtamen quum fames eum urgeret, haud multum de ea re sibi meditandum duxit. Nullá itaque morá cœnam absumpsit, seque quieti tradidit.

Iam erat mane quum evigilavit. Ientaculum in mensula ante grabatum iam erat dapinatum. Sumpto eo, conclavia palatii perambulare pergit. Cunctis in his nemini obviam factus est. Dehinc in hortum prodivit. Rosæ circumquaque florebant, quasi media æstate.

"Pulchritudo dumtaxat suum munusculum utique obtinebit," mercator secum fatur, atque rosam, quam discernere poterat pulcherrimam protinus decerpit.

Non ante hoc perfecit, quam prope se terrificum boatum audit. Digredi tentat, at ecce, immane monstrum adversum se appropinquans conspicit. Figura eius nulli erat similis bestiæ quam unquam vidit, namque proboscide elephanti, iubá leoniná, squamisque colubri, denique ungulis tigridis erat horridum.

Bestia se coram mercatore sistens, terribili voce sic eum adoritur: "Quidnam agis meis rosis?"

Mercator respondere conabatur, tanto tamen terrore erat perculsus, ut dentes tantum sibi concuterentur.

"Scelio, ingratissime!" inclamat eum Bestia. "Cibo, suffugioque te excepi, noctem sub tectis meis exegisti, tu autem beneficia mea furto meorum florum pensas. Morte es dignus, quam et statim oppetes."

Mercator se confestim in genua ante pedes monstri provolvit. Tremens balbutiebat se rosam pro filia, natu minima, carpsisse, veniamque eius flagitabat.

"Quidquid iusseris, libenter me facturum spondeo," orabat mercator, si modo vitæ meæ parcas."

"Mortem meruisti," reboat Bestia, frendens dentibus, "unam tamen legem statuam, tuæ salutis. Si facere poteris ut una filiarum tuarum sua sponte huc veniat, sinam ut hinc salvus abeas. Licebit ut etiam hodie discedas. Post unum mensem exactum sive tu, sive una filiarum tuarum huc veniet in meam ditionem. Nihil tibi proderit effugium meditari. Si neuter vestrum huc venerit, familiam tuam totam exterminabo."

Mercator desperatus manus torsitabat. Non enim sibi videbatur ullam suarum filiarum in ditionem tam immanis monstri sua sponte venire volituram, nedum se eiusmodi proposito assensurum.

"Nunc vero i," tandem atur Bestia. "Per me li-

cebit ut rosam eam filiæ tuæ natu minimæ tradas. Oblivisci tamen pretii, quod soluturus es, noli. Post mensem sive tu eris meus, sive vero una tuarum filiarum."

Sumpsit igitur rosam mercator tremulâ manu, et ex horto effugit. In area interna invenit suum equum ephippio instructum, seque præstolantem. Equum illico conscendit, et celerrime quam poterat abequitavit. De via prorsus nihil habebat compertum, sed equus instinctu innato viam præsagiebat, atque iam circa crepusculum ante casam suam se reperit.

Audito sonitu ungularum equi, liberi sui obviam ei cucurrerunt.

"Quínam, noster pater, res tibi successerunt?" quæritabant filii.

"Ubinam sunt nostra munuscula, patercule?" clamitabant filiæ.

"Unum tantum eorum habeo," respondit mercator, "quod summo pretio redemi, maiori profecto quam soluturus fuissem, si cuncta præstinavissem," quibus dictis ostentabat rosam quam Pulchritudo postulaverat.

Liberi sui nullo pacto perspicere poterant quonam modo singulam rosam tanto pretio præstinavisset; prohinc rogaverunt patrem ut causam rei explicaret. Totam igitur historiam narravit. Filiæ suæ in lacrymas solutæ sunt, reprehendebantque patrem

sciscitatæ, quínam ipse tam crudelis esse potuisset, ut quamlibet earum requiri posse autumaret, ut domum immanis monstri adiret, etiamsi id sui servandi causa fieret.

"Culpa Pulchritudinis id factum est," inquibant illæ. "Quare ipsa non postulavit rem quamdam ordinariam, ut nos fecimus?"

"Si culpá meá id factum est," denique respondit Pulchritudo, "ipsa me ad domum Bestiæ conferam."

Pater, fratresque sui edixerunt se id non passuros, ipsa tamen secum ire statuit, atque nihil quod pater, fratresque dicere aut agere poterant, eam a proposito deterruit.

Post mensem exactum Pulchritudo cum patre domo abequitavit, et quamvis metu omnis tremeret, id minime prodidit. Ut iam antea, equus mercatoris, etiamsi ipse non, viam probe novit, et hinc, paullo post solis occasum in locum pervenerunt.

Xystus, totusque fundus luminibus refulgebant, quoniam cunctæ statuæ faculas gerebant. Verumtamen, ut antea, nullus mortalium videbatur locum incolere.

Ascendentes perambulabant resonantia cubicula, quæ millenis candelis accensis summo splendore erant collustrata, donec ad illud venissent, in quo mercator ante mensem pernoctasset. Mensula ibidem stabat cum cœna pro duobus apparata. Pulchritudo formi-

dine erat ægra; attamen quum liceret, et ex fame simul laboraret, ipsa, cum patre unà, famem suam affatim levavit.

Cœnam non ante finiverunt quam ingens boatus, sævior quam sive tauri, sive leonis, aulas palatii resonans percucurrit, quum denique Bestia coram apparuit. Pulchritudo brachiis paternis desperata se applicuit. Vix se præ terrore a corruendo continere valuit.

"Hæcne est filia quæ huc sua sponte venit?" quærit Bestia. "Ipsa mihi non videtur admodum velle."

Pulchritudo inde intellexit se non satis civilem præbuisse. Magno itaque conatu se a patre retraxit, seque in politiorem habitum erexit, etiamsi omnibus artubus tremeret.

"Salvus sis, mi Here," fatur igitur ipsa.

"Haud expedit te ita me vocare," ait Bestia. "Ego etenim Bestia sum, tu autem Pulchritudo. Satius est res propriis nominibus vocare. Propriane tua sponte huc venisti?"

"Sic, sane, mea Bestia."

"Factum bene. Tu vero," ait Bestia ad mercatorem conversa, "cras domum ibis. In cubiculo contiguo, ubi hanc noctem exiges, res quasdam reperies, quas licebit tibi tecum domum referre. Faustam tibi noctem! Vale!"

His auditis mercator discessit, eosque solos reli-

quit. In cubiculo attiguo mercator riscos reperit auri, gemmarumque plenos.

"Numne hoc est quod mihi mecum domum referre liceat?" exclamat mercator. "Ehem, sic tam erimus opulenti quam unquam antea fuimus! At hoc pretium tui est, Pulchritudo," inquit lacrymis obortis.

Pulchritudo eum solari conabatur, quamquam et ipsa angore omnis tenebatur. Reversa in suum cubiculum, ne de Bestia somniaret, cubitum ire metuit. Verumtamen post aliquot horas sopore est oppressa, ac per quietem se in horto ambulare somniabat. In quodam ambulacro iuvenem, sumptuose vestitum, vultu venustissimo sibi obviam fieri videre sibi videbatur. Is, manu eius sumpta, fatebatur se eam amare, flagitavitque ut se a carcere suo liberaret. Ipsa, vicissim, quærebat quid iuvenis innuere vellet, at ille explicare nequibat, ac post hæc ipsa evigilavit. Iam erat mane, proinde ipsa surrexit, seque induit. Dum hæc agebat, somnium sibi continuo obversabatur ipsa mirante quid id portenderet, an utrum is iuvenis quidam esset, quem Bestia alicubi in caverna quadam palatii captivum teneret.

Denique patri valedixit, qui interim riscos thesauris onustos, dorsis equorum plurium, qui ulteriora dona erant Bestiæ, alligaverat, domum abequitavit. Tum Pulchritudo conclavia palatii circumambulando exploratum ivit. In singulis eorum aliquid pulchri at-

que insoliti reperit, quo se oblectare ac ludere poterat. Omnis generis libros fabularum imaginesque illic invenit, æque ac musica instrumenta sua sponte melodias edentia, psittacos se alloquentes, aviculas canoras, sibi cantilantes. Offendit et simios atque simias, pedisequorum ac mulierum cubicularium munera obeuntes, qui omnes servitia sibi tam dextere, quam personæ humanæ perfecerunt.

Quum denique advesperascere cœperat, sibi iam septimanas in palatio exegisse parebat, quod tot tamque insuetas in palatio res vidit. Quum denique in cubiculo suo sederet, cœnamque eodem arcano modo in mensula dapinatam absumpsisset, ecce Bestia se coram stitit. Aspectus eius se maximo terrore perculit, tamen nunc paullo minus pavebat quam primá vesperá. Hic interrogabat eam quemadmodum diem exegisset. Ipsa narravit ei de cunctis rebus pulchris ac novis quas in castello invenerat, quantumque iis delectata erat.

"Libenterne tu hic degis?" quærit Bestia.

"Hic iucundissimum est. Palatium est quasi divarum;" respondit Pulchritudo.

"Si nubas mihi," prosequitur Bestia, "totum hoc palatium, cunctaque quæ in eo sunt, tua erunt. Amo te, visne mihi nubere?"

"Non, Ædepol," refert Pulchritudo, nec quin contremisceret se continere poterat. Bestia se longe hu-

maniorem præbebat, quam ipsa eam esse posse existimabat; at vero nubere cuiquam, quem vel contueri formidaret, terribile sibi videbatur.

Bestia tam subito eam reliquit, quam pridie vesperi.

Quamprimum iterum obdormivit, in somnio idem iuvenis sibi occurrit, quem in horto viderat. Diu unà morabantur, atque Pulchritudo eum ita amare se sensit, ut ab eo redamari. At ipse admodum conturbatus esse videbatur, et ab ea, ut nocte hesterna fecerat, iterum flagitavit, ut se ex suo carcere liberaret, sed ab eo nullo pacto elicere quibat quis ipse esset, et in quonam carcere detineretur.

Pulchritudo satis inveniebat in palatio Bestiæ quo se occuparet. Præsto erant ad equitandum generosi equi, fundus autem per milliaria protendi parebat. Tum etiam, tametsi tempus erat hibernum, regionesque sub nivibus iacebant ubique, tamen hic terra calore tepebat, eratque sudum,[11] floribus quaquaversum vigentibus. Piscinæ aderant hippuris[12] scatentes, in quibus licebat ei scaphulis huc et illuc navigare ac remigare, liliaque aquatica carpitare; non deerant, præterea, ornatissima indumenta, gemmæque in suum usum, innumeraque genera ludimentorum curiosorum, atque animalculorum lusui apto-

11. *Sudum*, apricum, quum sol splendet.
12. Pisces, qui vocantur aurei.

rum. Bestiam interim, nisi vesperis, nunquam convenit, et hoc paucis minutis, antequam cubitum iret. Pauca solebat verba facere, sed potius tam tristi solebat se vultu contueri, ut Pulchritudo illi cum dolore animi compateretur, enixeque optabat ut mœstitiam eius levare posset. At, quoties se in connubium expetabat, ipsa negavit id se facturam.

Interea quaque nocte idem iuvenis sibi, quem in ambulacro convenerat, in somnio obversare solebat. Per hortos, perque ambitus palatii unà consueverunt ambulare, nec Pulchritudo præter hunc ulli nubere volebat. Hic tamen semper mœstus esse parebat, atque quasi aliquid abs se postulare vellet, quod tamen ipsa divinare nequaquam posset.

Cunctis palatii oblectamentis et illecebris in contrarium allectantibus, Pulchritudinem ludus in eorum medio solitarius tædere, atque desiderium patris, fratrum sororumque obrepere cœpit. Id et Bestiæ fassa est, petivitque ab ea, ut cum sua voluntate, saltem ad breve tempus, domum redire liceret. Hoc non parum doloris Bestiæ attulit; ipsa tamen tam impense rogavit, ut postremo ei tamen facultatem concederet. Legem tamen statuit, ne Pulchritudo ultra duos menses abesset.

"Nonne id non oblivisceris?" quærit ille. "Quomodocunque ii cupidi tui sint, teque domi continere

velint, tute ad me intra duos menses reversuram spopondisti."

"Fide tibi spondeo me redituram," ipsa respondit.

Ea nocte iuvenis sibi in somnio etiam solito mœstior videbatur.

"Tune hunc locum," quærit ille, "hæc cubicula, hunc cæspitem, has semitas, quas singulis noctibus, etiamsi in somnio dumtaxat, perambulamus, relinques?"

"Quid refert, quum hæc somnia tantum fuerint?" respondit Pulchritudo. "Quin etiam quum domi meæ fuero, licebit mihi quaque nocte somniare me tecum hic versari."

Ille tamen ad hæc nihil respondit.

Postridie diem solidum Pulchritudo componendis et convasandis iis pulcherrimis rebus expendit, quas Bestia sibi domum, ad familiam suam deferendas donaverat. Ipsa iter postero mane se carpturam existimavit, at Bestia pridie vesperi annulum ei dedit, docuitque eam, se nihil nisi annulum in digito circumvertere oportere, atque dicere ubi esse vellet, quum futurum esset, ut proximo mane iam ibidem esset.

Proinde cubitum itura annulum in digito circumvertit, dixitque, "Domi meæ esse cupio."

Proximo itaque mane, sole iam in vultum sibi incidente, expergefiebat. "At sol non per eam fenestram intrat," cogitabat ipsa secum, suosque famulos simios

ad lumen arcendum appellabat. Nullus venit. Tum oculos plene aperit, seque in lecto ad sedendum erigit. Se in cubiculo reperit, in quo antea fuit nunquam. At circum se in solo iacebant sui risci, quos heri munusculis plenos convasaverat. Tunc memoria annuli sibi incidit, unde se domi esse intellexit suæ. Utique, modo, ubi mercator iam iterum opibus affluebat, casam suam in sylva mutavit.

Se itaqae induit atque in pedeplánum[13] decurrit. Domestici sui, eam quum conspexerűnt, fidem propriis oculis non habuerunt. Sexcentis eam quæstionibus fatigarunt quin responsis reddendis ei moram concessissent; quum vero riscos suos reserasset, muneraque secum allata eis exhibuisset, omnes attoniti, elinguesque[14] steterunt. Tum, vicissim, ii habebant quod Pulchritudini ostentarent et enarrarent, ex eo tempore nacta atque gesta, ex quo in novas fortunas venissent.

Tempus interea tam celeriter labebatur, ut Pulchritudini ad rationem dierum habendam nullum otium suppeteret. Unum interim sibi deesse admodum sentiebat. Quippe iuvenis, quem per quietem,[15] dum in palatio Bestiæ vitam degebat, quaque nocte convenire solebat, ei in somnio iam non obversabatur. Cæ-

13. Ea pars domus, quæ cum terra in eodem plano est.
14. Qui linguam non habet, cui lingua excidit.
15. In somnio.

teroquin, si hoc unum demas, ipsa admodum erat beata, ita profecto beata, ut temporis, quod domi egisset, prorsus esset immemor. Unus mensis, dein duo menses, denique tres præteriverunt. Ex mente Pulchritudinis promissum omnino excidit.

Quadam denique nocte ipsa vidit somnium. At hoc non de iuvene erat, quem in hortis Bestiæ convenire in somnio consueverat. Scilicet somniabat se in hortis palatii ambulare, atque xystos pererrare, quum in tramitem incidisset, quem nunquam antea viderat. Trames ad antrum, in latere tumuli ducebat. Ipsa antrum intravit, ubi Bestiam humi prostratam invenit. Iacebat autem Bestia prorsus immota, tamquam mortua. Pulchritudo affata eam est, illa tamen non se movit. Num Bestia revera mortua est? Pulchritudo iuxta immotum corpus in genua procidit singultans, verbisque compellans, ut, utrum viveret, responderet. Antequam tamen id comperire potuerat, evigilavit. Necdum erat mane. In cubiculo usque tenebræ erant.

"Sine mora mihi redeundum est," cogitabat secum Pulchritudo, igitur annulum in digito illico circumvertit aitque: "In palatium Bestiæ perferri cupio." Tum iterum obdormivit.

Die exorto in suo cubiculo palatii expergefacta est. Famuli sui simii, pompa egregia ornati sibi servitio aderant, sibique ientaculum dapinaverunt.

"Nihil prorsus mutatum," cogitabat secum Pulchritudo, "oportet itaque cuncta salva esse."

Attamen ipsa toto die angore quodam tenebatur, adventumque vesperæ impatiens opperiebatur. Vespera quidem tandem advenit, non item Bestia. "Fortasse hac vespera tardius adveniet," cogitabat ipsa. Sollicita igitur exspectabat horologium aspectans, at Bestia non venit.

Præter modum perturbata denique surrexit, ac se induta, perquisivit palatium, voceque Bestiam appellavit. Ambitus conclaviaque alte silebant, quamvis millena candelarum arderent, acsi hospitum multitudo exspectaretur.

Tandem Pulchritudo in hortum procucurrit. Statuæ omnes ardentes ferebant tædas, quarum flammæ aurá nocturná læte agitabantur, earumque lumina undulæ piscinarum, veluti frustula speculorum refracta reverberabant.

Pulchritudo cunctas semitas horti percursavit, occurrit tamen nemini. Subito notat se in semitam ingressam esse, quam antea nunquam viderat.

"Hæc certe ad antrum ducit quod in somnio vidi," cogitabat, et quam poterat in ea deorsum celerrime currit.

Ita, profecto, ibi videbatur antrum, vastum exhibens foramen in latere tumuli.

Erepta face e manu unius statuarum, huius lu-

mine intrat cavernam. Humi strata iacebat Bestia omnino muta, prorsus ut eam in somno viderat.

Facem mittit e manu, quæ in terra hirritans tremulá ardebat flammá, nec tamen est exstincta.

Antea nunquam est ausa Bestiam attrectare, sed nunc manus capiti eius imposuit, nec parum cohorruit quum id frigidum esse sensit, unde manum ad cor permovit. Id usque pulsare, admodum leniter quidem, sed tamen pulsare sensit.

Prope ad ingressum cavernæ erat fons. Illic pendentem scyphum aureum aquá complevit, qua caput Bestiæ humectare perrexit. Ea tamen iacebat immota.

Nunc Pulchritudo in fletum erupit acerbum. "O, te obsecro, noli mori," clamitabat puella. "Quidquid pro viribus possim, faciam, si modo tu vivas."

Bestia caput commovit, sed Pulchritudo vix plus quam susurrum eius percepit: "Pulchritudo, visne mihi nubere?"

"Volo, si modo tu non moriaris," respondit Pulchritudo.

Fax in solo ultimam flammam eiaculata est iacens, tum extincta est. Antrum densissima caligo obtexit. Pulchritudo iuxta se in solo aliquid moveri animadvertit, suamque manum ab aliquo prehendi. At manum eam humanam esse sensit, non ungulas Bestiæ.

"Quis tu es?" clamat ipsa perterrita.

Eodem momento temporis sonitus currentium pedum exaudiebatur, atque homines faces ardentes secum gerentes per semitas appropinquabant, qui omnes antrum intraverunt. Hi cuncti statuæ erant in horto, sed nunc revixerunt.

Pulchritudo stupens circumspexit. Iuxta se stantem vidit iuvenem, quem in somniis in palatio Bestiæ quaque nocte convenire consuevit.

"At ubi est Bestia?" quærit ipsa. "Tu certe meam Bestiam non occidisti?"

"Non occidi eam," refert iuvenis. "Sed tu eam occidisti. Ego Princeps sum, fuique a quadam impia dia in monstrum illud mutatus, quod tu noveras, cunctique mei famuli in statuas sunt conversi. Fascinum usque eo perduraturum erat, donec virgo aliqua huc sua sponte veniret, seque mihi nupturam sponderet. Nunc tu ligamen fascini rupisti, prohinc confestim connubio iungemur."

Ad nuptias celebrandas hinc in palatium regressi sunt, ubi patrem, fratres, atque sorores iam præstolantes offenderunt, quippe qui ope fascini huc perlati erant, nec sciverunt quid rei gereretur. Quum intellexerunt Pulchritudinem non Bestiæ, sed formoso Principi nupturam, quem ex vinculis fœdissimi fascini redemisset, facile perspicies quanto gaudio atque felicitate omnes fruiti essent.

AQVA VITÆ

AQVA VITÆ

LONGE ANTEA quam sive ego, sive tu, nati essemus, in regno quodam perquam dissito regnabat rex, qui tres filios habebat. Hic rex quondam in ægritudinem incidit, et ita quidem, ut nemo eum victurum crederet. Filii ægritudine patris magno mœrore afficiebantur; et ut in horto palatii flentes oberrabant, senex quidam iis obviam factus est, qui ab iis sciscitabatur quid contristati essent. Iuvenes igitur narrabant seni de patris ægritudine, seque desperare aiebant eum quidquam servare posse.

"Quin ego scio quid," refert senex, "Aqua Vitæ id efficere posset. Si rex vel haustum eius comparare posset, protinus valeret; obtentu tamen ea difficillima est."

Tum filiorum maximus natu aiebat, "At ego eam

mox reperiam," quo dicto ad ægrum regem properavit, facultatemque ab eo petivit ut Aquam Vitæ quæsitum sibi proficisci liceret, quandoquidem ea sola res esset quæ eum priscæ valetudini restituere posset.

"Minime," respondit rex, "mortem potiorem habeo, quam ut te discriminibus, quæ iter eiusmodi secum fert, a me obiectum esse sciam."

Verum iuvenis tanto ardore flagitabat, ut rex denique ei facultatem eundi largiretur, quo facto, filius regius sic secum coniectabat, "Si patri hanc aquam attulero, me habebit filium dilectissimum, meque hæredem regni constituet."

Tandem itineri se dedit, et quum partem non exiguam itineris emensus esset, in vallem quandam pervenit, præcipitiis et sylvis utrimque asperam; et ut illic dispectabat, in quodam scopulo sibi imminenti animadvertit pumilum,[1] qui se mox his verbis inclamavit: "Princeps, quonam tantopere festinas?"

"Quid id ad te, turpis pusille?" regerit contemptim regius filius, iter prosecutus. At homullus in magnam iram exarsit ob hanc contumeliam, eique malam fortunam incantavit, ita ut eo prorsum equitante angusta montium pedetentim coarctari, tandem omnino ita claudi viderentur, ut ulterius progredi nullo

1. *Pumilus*, -*i*, sive pumilio, -nis, est homo parvulus, homullus, homuncio, nannus.

pacto posset. Itaque quum mutato consilio equum retro verteret, ut iter quo venerat remetiretur, reperit viam a tergo quoque occlusam esse, seque undique septum. Denique de equo descendens per pedes viam tentabat, at hoc perficiendo par non erat, et sic se magia omnino et ineluctabili modo vinctum reperit.

Interea pater, rex, in diem victitabat spe quotidiana fultus filii sui reversuri, quum demum alter filius sic eum alloqueretur: "Pater, sine ut ego eam aquam comparatum proficiscar;" ratiocinatus enim erat, "Frater meus certe interiit, itaque regnum mihi obveniet, si cum bona fortuna iter persolvero."

Rex primum admodum erat invitus, nec alterum filium ire sivit; denique tamen facultatem ei dedit. Hic itaque iter ingressus, eadem via qua frater ante vehebatur, profectus, eundem pumilum convenit, qui eum eodem loco detinebat his verbis: "Princeps, quonam tantopere festinas?"

"Fac, ardelio[2] moleste, proprium negotium cures!" respondet ei iuvenis Princeps contumeliose, et abequitavit. At pumilio eodem incantamento eum devinxit, et quum hic ad eadem angusta montium uti frater ante pervenisset, neutrum versus evadere

2. *Ardelio, -nis,* est qui se rebus alienis, quæ ad se nihil attinet, ingerit.

poterat. Sic ergo fit stultis superbis, qui plus sapere sibi persuadent, quam ut aliorum consilio egeant.

Quum et alter filius regius tam diuturno tempore moraretur, filius natu minimus statuit ad comparandam Aquam Vitæ iter suscipere, spe fretus patris in bonam valetudinem restaurandi. Pumilio huic quoque occurrit eodem loco, quæsivitque ex eo: "Princeps, quonam tantopere festinas?" Cui Princeps, "Aquam Vitæ quæsitum iter suscepi, quod pater meus æger iacet, vereorque ne moriatur; — potesne mihi succurrere?"

"Notumne tibi ubi ea reperiri possit?" quærit homunculus.

"Non est;" respondit iuvenis.

"Quandoquidem humaniter mihi respondisti, consiliumque meum expetivisti, docebo te quò et quemadmodum tibi eundum sit. Aqua quam quæris e fonte ebullit castelli fascinati, quo ut ire secure queas, virgá ferreá te donabo, duobusque panibus. Portam ferream castelli ter virgá percuties, quum illa pandetur. Intrinsecus duo famelici leones iacebunt, in prædam hiantes; si eos obiectis hisce pastis[3] cibaveris, te præterire sinent; tunc properabis ad fontem Aquæ Vitæ, hauries aliquantam antequam horologium duo-

3. *Pasta*, -*æ*, proprie est *intritum*, genus gluis, glutinis; item corpus panis, *pastilla*.

decimam pulset; si enim ulterius moraturus sis, porta ante te in omne ævum claudetur."

Virga pastisque acceptis, regius iuvenis pumilo gratias ob eius succursum amicissimum reddidit, ac tum iter suum per terras mariaque prosequebatur, usquedum ad terminum sui itineris feliciter pervenit, ubi cuncta ad amussim ita reperit, ut pumilus illi prædixerat. Porta ad tertium tactum virgæ sine mora pandebatur, leonibusque pane pastis, progrediebatur per castellum, in quo tandem in pulcherrimum conclave intravit; in eo circum aliquot equites reperit in artiselliis sedentes, fascino consopitos; his annulos e digitis detraxit, propriisque imposuit. In conclavi altero ensem cum pane in mensa iacentem reperit, quos etiam sustulit. Deinde in cubiculum venit, in quo venustissimam reperit virginem in grabato[4] sedentem. Hæc eum læta excepit, affataque eum dixit, si se a vinculo incantamenti liberasset, ac post annum ad se rediret, totum regnum in suam ditionem acciperet, ipsaque insuper ei nuberet. Porro eum docuit Aquam Vitæ e fonte manare in fundo castelli, licere ei quantam vellet haurire, eum tamen properare iussit, ut antequam horologium duodecim pulsaret, extra portam esset.

4. *Grabatum, -i*, est sedes, sedile, plerumque pulvinatum, tomento farctum, ad commodius sedendum pluribus personis accommodatum.

His auditis, regius iuvenis foras properavit, pervenitque ad pulcherrimos hortos, in quibus aliquem locum umbris delectabilem cum grabato invenit, ubi, quum admodum esset lassus, requiescendum sibi putavit, unde pulchritudines horti commode spectare ac mirari posset. Recubuit itaque, ac sibi invito mox sopor obrepsit, nec evigilavit donec horologium undecimum cum dodrante[5] sonaret; tunc, perquam territus in pedes prosiliit, ad fontem accurrit, scyphum illic pendentem complet, atque pedes retrahit, ut tempori evadat. Ipso puncto temporis, quo ferream portam præteribat, horologium duodecim sonabat, quum porta tam cito illabebatur, ut frustulum calcis suæ abraderet.

Quum se incolumem in tuto reperisset summo gaudio afficiebatur, quod Aqua Vitæ potitus est; atque in itinere retrorsum præteribat pumilum, qui quum ensem atque panem conspexisset, hæc eum docuit: "Eximium attulisti præmium; eo ense, singulo ictu, totum exercitum prosternes; panis autem nunquam deficiet."

Tum regius iuvenis hæc secum dictitabat: "Non decet me ad patrem sine fratribus redire," itaque sic affatur pumilum: "Mi amice bone, num non potes mihi declarare ubi mei fratres sint, qui ante me

5. *Dodrans*, *-tis*, m., est tertius quadrans, ¾.

Aquam Vitæ quæsitum profecti, nunquam reversi essent?"

"Equidem eos," refert homullus, "quoniam se superbos erga me præstiterunt, nec me consulere dignabantur, inter duos montes occlusi."

Iuvenis tantá constantiá flagitabat gratiá suorum fratrum, ut pumilio tandem eos liberaret, licet invitus, sed sic eum commonuit: "Cave tibi ab eis, malo enim sunt corde." Ipse tamen eorum visu admodum gavisus est, statimque enarravit eis totum quod sibi evenisset: modum quo Aquam Vitæ reperisset, quí scyphum eius abstulisset, quemadmodum venustissimam regiam virginem a vinculis incantamentorum liberasset, denique, quemadmodum ipsa totum annum ad exspectandum præstituisset, quo præterituro ipsa sibi nuptura esset, regnumque sibi donatura.

Hinc omnes tres unà abequitarunt. In itinere domum versus in regnum quoddam pervenerunt, quod bello devastatum, fameque ita ad extrema redactum invenerunt, ut omnes superstites sibi pereundum existimarent. Verum regius iuvenis panem suum regi eius gentis obtulit, quo et rex, et cuncti eius subditi vescebantur. Insuper, mirabili suo ense omnes exercitus hostium delevit, quibus gestis regnum in pace et ubertate reliquit. Eodem modo etiam alias duas gentes in suo itinere pari beneficio affecit.

Advenientes ad mare, nacti sunt navim, quam

omnes tres conscenderunt. Inter navigandum duo fratres natu maiores sic inter se colloquebantur: "Frater noster possidet Aquam, quam nos comparare nequivimus; futurum ergo est, ut pater nos ei posthabeat, regnumque, quod nostri iuris est, ei attribuat." Itaque invidiá et vindictá succensi, sic consilium labefactandi eius iniverunt. Hoc igitur proposito exspectabant dum ipse decumberet et obdormisceret, quod quum factum est, Aquam Vitæ ei surripientes, in propriam lagenam transfuderunt, eique aquam marinam, salsam et amaram, supposuerunt. Quum ad finem suæ peregrinationis, domum, pervenerunt, filius natu minimus suum scyphum aquæ propere ad patrem pertulit, ut haustá eá, curaretur. Vix tamen is aquam marinam, salsam et amaram, degustaverat, ægrior etiam quam ante factus est. Mox duo adultiores filii superveniebant, suumque fratrem minorem culpabant perperam factum ei exprobrantes, quasi patrem veneno perimere voluisset, veram et genuinam Aquam Vitæ abs se comparatam allatamque esse.

Simul ac rex aquam, quam hi ei obtulerant, sorbere incipiebat, ab ægritudine levari cœpit, et in paucis diebus adeo convaluit, ut quasi in iuventutem se restauratum sentiret. Post hæc duo fratres minorem fratrem adiverunt, eum deriserunt sic fati: "Nonne fratercule tu belle reperisti Aquam Vitæ? Tu labores pertulisti, nos præmia feremus; quamobrem, obse-

cramus, cautior tibi non fuisti? Anno futuro alter nostrum nisi diligentius tibi caveris, bellulam tuam regiam puellam tibi eripiet; satius tamen arbitramur ut de his rebus patri nihil dixeris, quod ipse tibi ne verbum quidem credet; insuper, si tute ardelionem præbueris, vide ne vitam pericliteris tuam; quin, potius, in pace silebis, et sic per nos salvere et valere tibi licebit."

Rex senex magnam iram adversum minimum filium concepit, credereque videbatur eum necem sibi intentare voluisse. Quamobrem consilium convocavit regium, ut statueretur quid facto opus esset. Placuit consilio id crimen capitale videri, cuius auctor reus mortis esset. Iuveni prorsus ignotum erat quid gereretur usque ad eum diem quo saltuarius regius cum eo venatum ivisset. Hoc in itinere, quum in quemdam locum clarum ac solitarium advenissent, perspecta saltuarii tristitia, iuvenis percontatus ab eo est, quid tam tristis videretur, his verbis: "Mi amice, quid rei est?"

"Causam tristitiæ meæ tibi explicare nec libet mihi, nec audeo," hic respondit.

At iuvenis instabat, et sic eum sollicitabat: "Dic modo quidnam sit id, nec putes me iratum fore, et tibi prorsus condonabo."

"Eheu," fatur saltuarius, "rex me te interimere iussit."

Regius iuvenis ad hæc obstupuit, sed mox, "Sine ut vivam," ait saltuario, "velis mecum vestes commutare; tu sumes tunicam meam regiam, ut eam patri exhibere possis, mihi autem tua veteramenta trades."

"E summis meis præcordiis," respondit saltuarius; "certe enim vitam tuam tibi servasse maximo mihi est gaudio; utique te interficere nullo pacto volebam."

His dictis amictum regii iuvenis sumpsit, suumque tritum ei tradit, quo facto, per sylvam discessit.

Non adeo multo post tres insignes legationes venerunt in curiam senis regis cum egregiis donis auri, lapidumque pretiosorum pro filio suo natu minimo, a tribus regibus in testimonium grati animi missis ob præclara eius in se beneficia collata, quum iis ensem suum atque panem commodasset, quorum ope et hostes profligasset suos, et cives pavisset. Hic eventus cor regis senis valde commovit, et inde suspicari cœpit filium suum minimum tamen insontem fuisse. Quum consilium regium iterum convenisset, rex consiliarios sic affatus est: "O, utinam filius meus minimus usque in vivis esset! Quam me pœnitet eum neci tradidisse!"

"Ipse usque vivit," monet saltuarius, "estque mihi magno solatio quod eius misertus sum, vitamque eius servavi, quoniam animum inducere, ut eum neci

darem, quum tempus mandati exsequendi advenit, nullo modo poteram, eumque in pace dimisi."

Hoc audito, rex summo gaudio afficiebatur, ac per totum regnum proclamari iussit, ut si filius ad se in regiam reverteretur, veniam impetraret.

Regia interea virgo liberatoris sui reditum avide exspectabat; hoc consilio viam ex auro, ac fulgido, rectá ad portam ducentem, parari curavit; docuit insuper domesticos hunc demum verum suum esse procum, qui per viam auream rectá ad portam equitaturus esset, eumque sine mora intromitterent; contra quicunque in alterutro latere equitaret, scirent verum procum non esse, ideoque eum statim ab ingressu arcerent.

Tempus denique advenit quum filiius maximus natu tentandum statueret regiam virginem visum ire, eique persuadere se eius liberatorem fuisse, eam in uxorem expetere, regnoque eius potiri. Ut is in conspectum palatii venit, viamque auream animadvertit, eam contemplatum substitit, et sic secum ratiocinabatur: "Iniquum esset adeo pulchram viam perequitando deturpare;" prohinc ad rectum latus eius se divertit. At vero, quum ad portam advenit, vigiles negarunt eum illum esse, quem esse se obtenderet, eumque ad proprium negotium curandum dimiserunt.

Paullo post alter filius regius idem iter eodem

consilio ingressus est; et quum is ad viam auream pervenisset, suusque equus alterum pedem in eam levasset, destitit eam contemplaturus, et quum vidisset quam ea esset eximia, sic secum cogitabat: "Quam esset iniquum si quidcunque eam pedibus calcaret!"

Denique etiam hic se divertit, atque a latere lævo prorsum equitavit. At vigiles, quum hic ad portam pervenerat, eum ab ingressu, quod non verus ille regius filius esset, prohibuerunt, et ad abeundum coegerunt.

Tandem nunc, quum annus integer expletus erat, tertius frater, qui iram patris metuens usque nunc in sylvis delituerat, ad requirendam regiam virginem sibi desponsatam, prodivit. Eius imaginem continuo in animo versans, iuvenis iter suum prosequabatur tam celeri cursu vectus, ut viam auream ne animadverteret quidem, sed eam cito percurrit; et quum ad portam attigit, hæc illico pandebatur, regia virgo eum summo gaudio excepit, ut suum liberatorem consalutavit pariter ac suum maritum dominumque sui regni; ac paullo post et nuptiæ opiparis lautitiis celebratæ sunt.

Postquam hæc cuncta feliciter gesta sunt, uxor narrabat quodam die marito iuveni se fando audivisse patrem eius veniam proclamasse, desiderioque eius adeo teneri, ut eum domum venire postularet. Hoc audito, filius ad visendum regem redivit, cunctaque

quæ gesta essent, narravit — quemadmodum fratres sui se decepissent ac defraudassent, se cuncta hæc opprobria, ob amorem patris æquo ferre animo. His auditis senex rex in iram exarsit, atque filios suos nequam punire cupiebat, at hi effugerunt, navimque nacti, vastissimo mari se commiserunt, nec unquam amplius visi sunt.

FINIS.

FERI OLORES

FERI OLORES

DISSITISSIMIS in terris, quò temporibus nostris hibernis hirundines commigrare solent, rex vixit quondam, cui erant undecim filii, unicaque filia, formosissima, Elisa. Undecim fratres, filii regis, scholam frequentabant, stellis in pectoribus ornati, enses in lateribus gerentes, tabellis aureis usi et pennis adamantinis, peritique erant legendi e libris, perinde ac sine; uno verbo, eos filios esse regis cognitu facile erat. Soror eorum, Elisa, in scabello solebat sedere vitreo, libellum lectitans imaginibus illustratum ingentis pretii. Proles istæ felicissimæ erant, at felicitate ea in perpetuum frui, iis datum non est.

Pater earum, rex, reginam quamdam, mulierem perditissimam, duxit uxorem, quæ erga proles nequaquam humanam se præstitit. Proles expertæ hoc sunt statim post nuptias, dum hospitum turba in regia usque superstitabat; nam quum pueri ludo hospitum

excipiendorum se diversitabant, loco bellariorum[1] quantum vellent, patinam illis arenæ plenam, ac per ludibrium nuntiari iis curavit, ut fingerent sibi aliquid delitiarum se habere.

Septimana[2] insecuta Elisam educandam rustico cuidam in pago commisit, ac pedetentim etiam de filiis regiis tanta mendacia commenta est regique intimavit, ut is ex eo tempore illos ne videre quidem vellet. "Auferte vos," clamitabat regina nequam, "experimini mundum, habeatis vestri curam ipsi. Mutemini in aves, et avolate." Ipsa tamen eos, quamquam volebat, in nullum genus rei fœdioris immutare poterat; itaque filii regii in olores[3] albos sunt mutati. Hi itaque editis insolitis clamoribus querulis, e fenestris regiæ per lucos in sylvas evolarunt.

1. *Bellaria, -orum,* Græco verbo, *tragémata, -um;* quæ accumbentibus convivio, in "mensa secunda," hoc est, post cibos carneos, præponi, dapinari, solent, nempe, tortulæ, liba, scriblitæ, aliaque condimenta dulcia, mellita aut saccharata, quibus iuventus maxime delectari solet.

2. *Septimana, -æ,* institutum Iudaico-Christianum, ideoque Romanis ignotum. Sic vocamus septem dierum spatium, veluti unitatem. Quatuor septimanæ efficiunt mensem. Latinitate Ecclesiastica idem etiam *hebdomas, -adis,* f., atque *hebdomada, -æ,* appellatur; tamen linguæ Neo-Latinæ, e priori sua *semana, semaine* derivarunt, quod argumento est Romanos Christianos potius eo vocabulo usos fuisse.

3. *Olor, -is,* m., idem atque *cygnus, -i,* avis magna aquatica, plerumque alba, quæ in piscinis publicis, aut etiam privatis, divitum, ornamenti causa servari solent.

Usque erat primum mane quum Olores locum prætervolaverunt, ubi Elisa in casula[4] rustici dormiebat. Sæpius circumvolitabant in sublimi supra tectum casæ, longa colla protendentes, alisque strepentes, sed nemo eos sive videndo, sive audiendo animadvertit; itaque necesse erat se in sublime, prope ad nubes attollere, et peregre avolare. Prosecuti igitur sunt iter suum adversum latissimas atrasque sylvas, quæ hinc ad littora maris usque se protendebant.

Misella Elisa ante ianuam casæ rusticanæ sedens viridi folio arboris se diversitabat, quod nihil aliud ludicri habebat. Foramen terebrabat in folio ac per id solem speculabatur, quo se fulgidos fratrum oculos videre fingebat; et quoties radii solares plene in genas suas figebantur, a fratribus deosculari sibi persuadebat.

Unus dies prorsus ita præteribat atque alius. Quoties ventus per rubos, quibus casa a fronte septa erat, perflabat, ipsa rosis hæc dictitabat: "Quisnam pulchrior vobis est?" sed rosæ capita quassantes responderunt, "Elisa." Quum vero diebus Solis[5] uxor rustici iuxta ianuam casæ sedens libellum hymnorum

4. *Casula*, -æ, parva casa, parva domus, domuncula.

5. *Dies Solis*, est dies primus septimanæ, dies quietis atque sacrorum ritui deditus; dies sacer, festus. Ecclesiastica lingua est Dies Domini, vel Dominica, more Iudæorum, unde et Neo-Latini sua "Domenica," "Dimanche," fabricati sunt.

lectitabat, ventusque per folia libelli perstrepebat, rogavitque, "Quisnam te pietate superat?" "Elisa," libellus hymnorum respondit. Nec quod rosæ, libellusque hymnorum responderunt erat quidquam nisi verum.

Quum Elisa quindecimum annum explevit, regina eam ad se accivit; et quum vidisset quanta venustate hæc floreret, tanto magis odit eam, libenterque eam in ferum olorem mutasset, propter regem tamen, qui suam natam videre optabat, ausa non est.

Proximo itaque mane regina intrabat lavatrinam, in qua labrum erat marmoreum. Lavatrina sumptuose erat instructa tapetibus, grabato, pulvillis. Regina illic tres bufones[6] habebat apparatos, quibus deosculatis, uni mandavit, "Tu in caput Elisæ desidebis, ut ipsa tui similis, hebes ac torpida evadat." Alteri, "Tu autem in fronte eius te collocabis, ut tui similis, turpis fiat, ut ipse pater suus eam ne amplius noverit," denique, tertio, "Tu vero pectus eius obsidebis," susurrabat, "ut cor eius corrumpatur ac depravetur, quod ipsam se affligat."

Bufones post hæc in aquam limpidam immisit, quæ confestim infici, ac viridescere cœpit. Tum accita Elisa, eam exuit, aquamque intrare iussit. Bufonum alter protinus in comam eius insedit, alter in frontem eius irrepsit, tertius denique in pe-

6. *Bufo, -nis*, m., est fœda rana terrestris.

ctus eius se applicuit; Elisa tamen nihil horum animadvertere videbatur. Tandem quum se ex aqua emersit, tres flores papaveris in superficie aquæ fluitare parebant. Nisi bufones venenosi, et a saga osculati fuissent, eam ob causam, quod in capite pectoreque Elisæ sederant, in rosas mutati essent; Elisa enim nimis erat proba, quam ut artes magicæ in eam effectum sortirentur. Quum regina hoc sensisset, totam cutim puellæ succo gulliocæ,[7] pulchrum autem vultum fœdo quodam unguento, quod et longos suos crines tamquam glue compegerat, oblevit, post quæ pulchella Elisa ne agnosci quidem poterat.

Ubi deinde sic in conspectum patris adducta est, ille negavit hanc suam esse filiolam. Nemo prorsus eam agnoscere, et in societatem admittere volebat, nisi molossus[8] atque hirundines, at hæc, animalcula misella, nihil quidquam eius gratia eloqui poterant.

Misella Elisa nihil nisi ploravit, atque de undecim fratribus, quorum nullum in regia viderat, continuo cogitabat. Ineffabili dolore animi clam se e regia eripuit, totumque diem solitaria per agros udaque prata erravit, et sic denique in sylvas devenit. Omnium rerum orba, quò se diverteret, plane ignorabat,

7. *Gullioca, -æ,* cortex nucum exterior, viridis, qui putamen internum, durum, tegit. Huius succus cutem humanam atro colore inficit, qui non facile ablui potest.

8. Genus magnorum canum.

et etiam mœrore ita erat obruta, ut nulla alia re quam ardenti fratrum, in mundum expulsorum, desiderio teneretur, ut secum firmissime statueret eos requirere atque reperire.

Non diu errabat in sylvis, quum in devia incidit, interea advesperascente, mox etiam nocte supervenientе, donec in caliginosis tenebris solam se reperisset. Itaque se in mollem muscum demisit, precibusque vespertinis Deo oblatis, caput suum trunco arboris applicuit. Altissimum in sylvis erat silentium; aura erat tepida, et in herbis fruticibusque circum, centenæ cicindelæ (tamquam candentia sidera) spargebant languida lumina sua virentia, et quoties quemlibet ramum vel molliter attigerat, mites cicindelæ, tamquam cadentia sidera, in se decidebant.

Elisa tota nocte de fratribus somniabat. Omnes iterum parvuli erant, ludebant unà, scribebant adamantinis pennis in pugillis aureis et aspectabant libellum pictum ingentis pretii. Sed modo iam non rectas aut curvas lineas, veluti ungulis gallinaceis scalptas scribillabant — iam sua præclare gesta, discrimina superata, descripserunt, in libello autem illustrato cuncta vivere videbantur; aviculæ revera canebant, viri atque mulieres e libello egredi, atque cum Elisa, fratribusque colloqui parebant.

Quum Elisa evigilavit, sol iam longe scandebat cœli fastigia. Ipsa quidem hoc videre nequivit, celsæ

enim arbores sylvæ frondosos suos ramos inter se conseruerant, unde foliorum tegmen, ubi radii solis eis inciderant, aurei veli instar huc et illuc oscillabant. Aura floribus baccarumque odoribus fragrabat, aliquæ autem aviculæ in humeros veluti in perticam, Elisæ descendebant. Audiebat etiam lenem susurrum aquæ fluentis, scilicet aliquot scatebræ in vicinia aquas suas in lacunulam communem miscuerunt, cuius fundum lapilli rarissimi ornabant; densum erat undique dumetum, sed damæ vicinum amnem frequentantes, callem extriverunt quem secuta Elisa ad marginem amnis pervenit. Aqua in amne ita erat clara ac limpida, itaque tranquilla, ut nisi frutices in ripis lenibus flabris agitatæ fuissent, superficiem pictam tantum esse existimares, quandoquidem cuncta et singula folia ac frondes, sive in sole micantia, sive sub umbra latentia, accuratissime reverberaret.

Simul atque Elisa vultûs sui imaginem in aqua depictam conspexit, obstupuit, ita atram ac turpem eam deprehendit; quum tamen manus suas parvulas aquæ intinxit, et oculos atque supercilia humectavit, et defricuit, cutis sua iterum recanduit. Proinde Elisa se exuit, intravit aquam, et mox omne fœdum pigmentum ita elutum est, ut nulla regia filia in omni orbe terrarum eá nitidior ac pulchrior prædicari posset.

Postquam se iterum induerat, densamque ac lon-

gam comam plexerat et concinnaverat, se ad scatebram bullientem retulit, haustaque volis aqua, se refecit, atque illinc ulterius in sylvam penetravit. Quo aut quorsum itura esset, nesciebat, nec nisi de fratribus deque bono Deo cogitabat, quem se nunquam deserturum firmiter credebat. Is enim est qui mala sylvestria, aliosque fructus ac baccas ad cibandos viatores egentes creaverat, quique eam ad eiusmodi arborem, fructibus gravatam perduxit. Sub umbra huius ipsa loco prandii famem suam explevit, et in signum grati animi ramos onere pendulos suffulsit, post quæ iter suum sub opaca sylvæ umbra prosecuta est. Silentium adeo erat altum, ut sonum mollium gressuum suorum, strepitumque marcidorum, sub pedibus foliorum audiret. Nullæ aves se visui obtulerunt, nullum iubar solis opaca foliorum perfringebat, truncique celsarum arborum tam dense stabant, ut quum ipsa sola prorsum tenderet, sibi quasi cratibus circumsepta esse videretur. Tanta, eheu, erat in hac sylva solitudo, quantam Elisa nunquam antea cognoverat.

At quanta erant tenebræ noctu — ne unica quidem cicindela lumen suum profundebat. Tristitiá mœroreque affecta ad dormiendum decubuit. Tum sibi frondes in sublimi, supra se, leniter divelli, Deique custos Angelus, benevolo vultu in se despectare videbatur, millenis Cherubim stipatus. Quum mane expergefacta est non sibi prorsus constabat, utrum

visio somnium fuisset, an ipsa revera sic custodiretur.

His cogitatis prosecuta iter, obvia fit cuidam anui baccas in quasillo gerenti. Anus eam allocuta, aliquantulum baccarum ei dedit, tum Elisa grata quæsivit ex ea, utrum undecim filios regios perequitantes sylvam, usquam vidisset.

"Non vidi," refert mulier, "sed heri undecim Olores cum aureis diadematibus in capitibus deorsum amnem, prope ab hoc loco deorsum nantes, memini me vidisse."

His dictis Elisam adversum præcipitium, ad cuius pedes rivulus præterlabebatur, deduxit. Ex utraque ripa arbores ramos suos frondosos utrimque protendebant; ubi autem hi inter se non attingebant, radices e terrra prorepserunt, fibrisque interplexis, rivulum operuerunt.

Elisa hic vetulæ urbane valedixit, iterumque sola secundum ripam commode deambulabat, donec ad ostium eius, ubi mare influebat, pervenit.

Vastum mare pulcherrimum ante pedes virginis se propandebat, sed nulla navis, nulla scapha, visui se obtulerunt; quonam modo nunc iter suum prosequi poterat? Interea animadvertit in littore innumerabiles lapillos, quos undæ in formam globulorum obtriverunt. Vitra, ferra, lapilli, et quidquid aliud ibi iacebat sparsum, in certas formas redacta erant, at-

qui aqua, quæ has mutationes effecerat, longe erat mollior quam delicatæ, parvæ manus Elisæ. "Undæ fluctuant indefessæ," cogitat secum Elisa, "atque superant etiam durissima: sic et ego, nunquam defatigabor! Gratiam vobis habeo ob doctrinam mihi impertitam, o undæ micantes ac fluctuantes! Cor meum futurum auguratur, ut vos me ad dilectos meos fratres pervehatis!"

Ulterius dispiciens, Elisa conspicatur in udis algis undecim pennas olorum; Elisa has collegit. Guttæ aquæ illis hærebant, utrum roris, an lacrymarum, ipsa ignorabat. Hic in littore ipsa sola erat, nec hoc curabat. Mare etenim æternam ei varietatem offerebat — certe multo plus in paucis horis, quam lenes aquæ mediterraneæ[9] per totum annum ei exhibere potuissent. Siquando nubes atra in sublimi prætervehebatur, mare respondere videbatur: "Ego quoque atrum parére queo." Quum vero ventus mare everberabat, undæ albam spumam sursum iactabant; si vero nubes rubro erant tinctæ, flabra vero quiescebant, mare quoque rosaceá pompá nitescebat. Mare modo viride, modo albidum erat, sed nunquam penitus tranquillum. Subinde levia flabra in littore cursabant, quum aquæ leni nisu turgescebant, tamquam pectus pueruli dormientis.

9. *Mediterraneum* est, quod procul a finibus, atque a mari est, uti sunt lacus, stagna fluvii, mediis terris.

Occidente sole Elisa animadvertit undecim Feros Olores cum aureis diadematibus in capitibus, adversum littus volantes. Alter pone alterum volabat, speciemque vittæ in longum pansæ præ se ferebant. Elisa verticem præcipitii conscendit, ibique pone dumum se occuluit; Olores prope eam descenderunt, longas alas suas vibrantes.

Sole sub aquas mergente, Olores quoque evanuerunt, eorumque in loco undecim filii regii, fratres Elisæ, comparuerunt. Elisa acriter exclamabat, nimirum, licet ipsi in figura perquam essent immutati, ipsa pro certo sentiebat eos esse — esseque debere — suos fratres. Itaque confestim in eorum brachia convolavit, quemque suo nomine appellans. Quis enarraverit omnium felicitatem, quum fratres vidissent et agnovissent suam sororem, quæ iam ita accrevisset, tamque pulchra evasisset! Cuncti eorum iam riserunt, iam fleverunt, quum interim impium scelus novercæ suæ contra se recoluissent.

"Nos," fari cœpit fratrum adultissimus, "usque eo volamus, aut namus, dum sol se supra horizontem continet, quum vero occubuit, humanam formam induimus. Hinc necesse est ut securum quemdam locum quiescendi prospiciamus, secus enim, si tempore occasûs in sublimi versaremur, simul ac formam nostram reciperemus, præcipites caderemus. Non hic loci habitamus; æque pulchra regio atque hæc iacet

in adversa ora maris, sed admodum dissita. Ad eò perveniendum necesse nobis est alta maria pervolare, nec ulla in medio est insula, in qua noctu conquiescere queamus; unica ex undis eminet rupes, in qua satis spatii reperimus ad exigendam noctem, alter iuxta alterum arcte stantes. Noctes ibi agimus in forma humana, ubi mari æstuante aspergine mademus; nihilo tamen secius, ob hunc quiescendi locum grati sumus, alioquin charam nostram patriam visere nunquam possemus.

"Has tamen patrum nostrorum sedes visere nobis semel tantum in anno licet. Ad huc pervolandum duobus egemus diebus, hic morari autem undecim nonnisi dies licet, quo tempore vastam hanc sylvam pervolamus, unde regiam solemus speculari, ubi pater noster habitat, turrimque templi, in quo mater nostra sepulta iacet. Etenim hic vel arbores ac frutices cognatæ nobis parent; hic equi indomiti campos soluti usque persultant, uti temporibus pueritiæ nostræ; hic carbonarii usque eas melodias ad numeros modulantur, ad quos pueri saltare solebamus; desiderio huius usque tenemur; ac, denique, hic te, dilecta sororcula, reperimus! Ad hic morandum usque biduum nobis superest, tum ad perveniendum in alteram regionem, quæ pulchra quidem est, sed non nostra patria, mare nobis transvolandum erit. Quínam te nobiscum vehemus? Nulla nobis navis est!"

"Quínam vero ego vos dimittam?" quærit soror. Et sic de rebus suis fere totam noctem collocuti, vix paucas horas dormiverunt.

Postero mane Elisam alarum sonitus expergefecit, quæ supra se agitabantur. Fratres sui iam iterum immutati fuerunt, ac per aliquod tempus magnis circuitibus circumvolitarunt. Tandem unico — natu minimo — relicto, in longinquum avolaverunt. Hic capite suo in gremium sororis reclinato, ipsa eius alas candidas demulcebat; hi totum diem unà egerunt. Circa vesperam reliqui quoque reverterunt, atque sole occumbente in terra firma, et in forma humana, constiterunt.

"Cras iterum avolabimus," unus eorum monebat sororem, "nec fortasse huc intra annum revertemur; sed nos te hic relinquere non possumus; audesne nos comitari? Brachia mea ad pervehendam te per sylvam satis fortia sunt; num alæ nostræ ad pervehendam te ultra mare viribus satis non polleant?"

"Ita, sane, tollite me hinc vobiscum, fratres, obsecro," flagitat Elisa.

Totam igitur noctem sedulo labore mattam[10] e

10. *Matta*, -*æ*, est storea, tegmen strati, tabulati, ex iuncis, scirpis, aut stramine plexum, partim ad tergendos lutulentos calceos ante ostium stratum, partim intra ædes, in ambitibus, vel etiam in cubiculis, præsertim æstate, ad gressuum sonitum absorbendum, partim, denique, ad gressus molliendos applicitum.

scirpis[11] viminibusque[12] lentis[13] ac firmis texendo ac plectendo egerunt, quæ quidem tenacissima erat. Elisa in eam decubuit, atque sole orto, quum fratres iterum in Feros Olores sunt versi, hi mattam rostris prehendentes, inter nubes subvolaverunt sororem ferentes, quæ usque dormiebat. Quoniam vero radii solis plena vi in vultum eius inciderunt, unus olorum supra caput eius subvolans, vultum eius sua largá alá obumrabat.

Quum Elisa evigilavit, a terra iam longe aberant, quæ tamen sibi usque somniare videbatur, tam insolitus ei volatus per aera supraque maria parebat. Iuxta se, in matta, racemum reperit suavium baccarum, atque fasciculum sapidarum radicum. Frater natu minimus hæc collegit et apparavit; ipsa gratiam ei nutu, et in eum renidens, reddidit, novit enim hunc velut eum olorem, qui supra se volans, alis se obumbravit.

11. *Scirpus*. -*i*, uti iuncus, utraque est planta palustris, altera teres, in tenuissimum desinens acumen, admodum recta, sine articulis, aut nodo; altera autem est tenuis, plana, in speciem ulvæ, herbæ, aut mucronis, etiam sine nodo, unde proverbium enatum est "nodum in iunco," vel "scirpo quærere," i. e., culpam quærere ubi nulla est.

12. *Vimen*, -*inis*, n., virgæ salicum, arborum, quæ secundum paludes, rivos, decursum aquarum, aut in terra uvida nascuntur, e quibus qualos, fiscinas, corbes omnis generis plectere solent.

13. *Lentus*, -*a*, -*um*, præter consuetam et quotidinam significationem, quæ adversatur *celeritati*, etiam flexilem, vel flexibilem quamlibet rem significat.

Volabant autem tanta in altitudine, ut prima navis quam conspexerant infra se, fulicæ albæ vel lari aquas alis verrentis speciem præberet. Pone se Elisa magnum cumulum nubium, tamquam montis, in eo autem propriam, et undecim olorum umbras ingentes conspexit depictas; hæ figuræ præstantiorem imaginem ei præbebant, quam unquam antea viderat. Sol interea altius ascendit, nubes longius relicta est, quum etiam fluctuans et umbratilis imago absorpta est.

Totum diem volatu, tamquam sibilantis sagittæ, expleverunt, et tamen solito lentius — sororem enim vehere debebant. — Circa crepusculum tempestas oriri videbatur. Elisa solem ad occasum vergentem non sine sollicitudine observabat, nec tamen rupes solitaria in conspectu erat. Etiam animadvertit Olores alis suis aerem vi adaucta verberare. Eheu! nisi fratres sui stato tempore in scopulo pervenissent, suá culpá id fieret! Sole occidente ii in formam humanam redirent; quodsi fieret, antequam scopulum attigissent, in mare deciderent, undisque haurirentur. Precibus Deum ardentissime invocabat — et rupes necdum sub oculis erat; atræ nubes appropinquabant — ventorum crebriores impetus adventum tempestatis indicabant — nubes ingenti turgori maris incumbebant, qui vehementi vi prorsum volvebatur — fulgurum unum alterum sequebatur.

Iam sol marginem pelagi attrectabat. Cor Elisæ violenter pulsare cœpit; Olores tanta celeritate deorsum ferebantur, ut ipsa sibi cadere videretur, sed illi se iterum receperunt. Sol modo iam ad dimidium aquis mersus erat, quum demum ipsa parvam rupem infra se conspicatur; eadem caput phocæ æquare parebat, quum hæc sese ex undis effert. Sol vero propere mergebatur — iam vix maior esse astro parebat. Ipso momento pedes eius solidum attigit, quum sol omnino evanuit, tamquam ultima scintilla exustæ chartæ. Fratres eius brachiis iunctis eam circumsistebant, nec plus spatii amplius superfuit. Undæ cautem ferociter verberabant, spumam asperginemque sæviter eis iniicientes; cœlum continuis fulguribus flagrare videbatur, et crebra tonitrua, alterum post alterum boantia resonabant; verum soror fratresque firmis manibus sese tenebant. Interim psalmum concinebant, qui cantus corda sua mira fortitudine confirmavit.

Circa diluculum cœlum clarescebat, mare residebat, aura autem purior eos reficiebat, et quamprimum sol ascendere cœperat, Olores, sublata Elisa, de rupe avolaverunt. Undæ interim sensim turgescere cœperunt, et quum e vicinia nubium in mare glaucum, spuma alba quaquaversum candicans, despectabant, infinito agmine olorum obsessum esse sibi facile fingere poterant.

Progrediente die Elisa in aere ante se prospectabat terram montibus intermixtis glacialibus asperam, quorum in medio, loco editiori, cum leni declivitate, conspicabatur castellum, in longitudinem circiter unius milliarii, cum porticibus, una supra alteram, palmetis, sub quibus flores, aspectu, formis, ac magnitudine miri vigebant, quorum nonnulli rotas molarum magnitudine æquare videbantur. Ipsa quærebat ab Oloribus, utrum hæc esset regio quam advolare conarentur, sed Olores abnuebant, quoniam castellum quod viderat, palatium erat diæ Morganæ, quò nemo mortalium accessum haberet; atque dum Elisa oculos usque eo defixos habebat, montes, arbores, castellum, cuncta subito evanuerunt, et in eorum loco duodena templa celsis cum turribus cacuminatis fenestris stabant. Ipsa sibi canoros organi sonos audire fingebat, id tamen murmur pelagi erat. Interim ipsa templis his propius advecta erat, sed, eheu! eadem in classem magnarum navium infra se præterlabentium mutata erant. Iterum despectat et videt id totum nebulam mari incumbentem ac præterfluentem esse. Æterna rerum mutatio ac varietas itaque ante oculos suos fluitabat, et tamen, postremo, terra quo cursum suum dirigebant, in conspectum venit. Speciosi montes lividi, arboreta cedrina, oppida et castella sensim sub oculos cadere cœperunt. Elisa, longe ante occasum solis ante ingressum spatiosi antri, in

quadam convalli montium sedebat, sub umbra hederarum repentiumque vitium, quæ aditum adinstar tapetæ magna arte textæ, occulebant.

"Nunc iam observabimus," affatur Elisam frater natu minimus, dum partem cavi ei exhibebat, ubi ipsa habitatura erat, "quid in somnio hac nocte videris!"

"O, utinam in somnio arcanum mihi revelaretur, quemadmodum vinculum fascini, quod vos tenet, solvere possem!" refert ipsa, et hæc cogitatio totum eius animum occupavit. Auxilium Dei omni ardore flagitabat, ne in tenebris quidem precari destitit, donec sibi se in sublime tolli, ac per aera Morganæ castellum versus rapi in somnio videretur. Dia castelli sibi obviam veniebat, pulchritudine radians, nihilo tamen secius, ut ipsa sibi fingebat, hæc similitudinem ferebat anûs, quæ sibi in sylva baccas dedisset, deque Oloribus, aureas coronas gerentibus, locuta esset.

"Quin fratres tuos liberare poteris," docet ipsa, "at vero, satisne vales animi fortitudine atque patientiâ? Aqua utique mollior est manibus tuis delicatis, illa tamen durissimos silices ad arbitrium formare valet. Verumtamen illa doloribus, quos digiti tui sustinere debebunt, non afficitur; ea corde nullo est prædita, prohinc nec ulla sollicitudine angoribusque afficitur, qui tibi sunt sustinendi. Videsne istas ustulantes ac mordaces urticas, quas ego in manu teneo?

Huius generis plurimæ vigent circa antrum ubi tu habitas. Nullæ, nisi quæ illic, aut vero in sepulcretis crescunt, valent — hoc memineris! Eas te legere oportebit, quamvis manus tuas pupugerint et ustulaverint; urticas nudis pedibus calcaveris, et ex fibris earum fila elicies; ex his vero texes undecim subuculas cum longis manicis; has undecim Oloribus Feris iniicies, ac tum demum vinculum fascini rumpetur. At oblivisci nolito — ab eo temporis momento, quo opus tuum aggressa fueris, usque ad finem, etiamsi annos in opere exegeris, ne verbum quidem protuleris; prima enim syllaba, quæ tibi imprudenti exciderit, erit tamquam pugio, incidens in corda fratrum tuorum; in tua lingua veluti in cardine, vitæ eorum versantur. Hæc diligenter attende!"

Eodem momento dia manum Elisæ urticâ contrectavit, quæ manum suam flammæ instar ussit, tunc Elisa confestim evigilavit. Multo iam die surgens, conspicatur iuxta stratum suum urticam, cuius exemplar in somnio vidit. Positis confestim genibus, grates Deo retulit, et ad opus suum inchoandum, ex antro prodivit. Repertis copiis urticarum, venenosam et ingratam hanc plantam propriis manibus legere cœpit; venenum urticæ crebras et magnas pustulas in manibus ac brachiis suis civerunt, ipsa tamen dolorem spe fratrum liberandorum æquo tulit animo. Urticas nudipes trivit, et licia inde evulsa in fila nevit.

Post solis occasum fratres venerunt. Silentio Elisæ non parum perterriti sunt, existimabant enim id originem debere incantamento a noverca impia iam antea edito; verumtamen visis eius manibus pustulatis, senserunt sororem operi esse suá gratiá suscepto intentam. Frater natu minimus in fletum solutus est, quum vero lacrymæ suæ eius manibus incidissent, Elisa dolore levabatur — pustulæ evanuerunt.

Ipsa totam noctem labore exegit, non enim quieti locum cedendum existimabat, donec fratres liberasset. Perinde totum diem posterum in solitudine laborans agebat, quod Olores avolarunt; tempus tamen nunquam tam celeriter præterivit. Iam una subucula finita pendebat, nunc iam alteram incepit.

Subito cornu venaticum in vallibus resonabat. Elisa conterrita est. Sonus sensim appropinquabat; mox et vertagos[14] latrantes exaudivit. Terrore perculsa Elisa in penetralia antri confugit, urticis in manipulos colligatis et carminatis,[15] quibus dein superinsedit.

Eodem puncto temporis vertagus ingens e dumeto prosiliit, duobus aliis comitantibus. Hi sæve

14. Sunt canes venatici.

15. *Carmino*, verbum Primæ, dicitur de actu licia cannabis, alius cuiusque plantæ textilis, per prænum ductare et sic tamquam crines pectere, eoque modo purgare, et ad nendum aptare.

latrabant, tum discurrebant, mox iterum reverterunt. Haud multo post ipsi venatores ante ingressum antri comparuerunt, quorum venustissimus ipse erat rex istius regionis. Is ad Elisam accessit, qua pulchriorem virginem antea viderat nunquam.

"Quínam contigit, puellula," fatur rex, "ut tu huc venires?" Elisa nihil nisi caput quassabat; loqui ausa non est; quod vel verbum suos fratres perdidisset, manus autem sub præcinctorio suo abscondit, ne regi, quantopere pateretur, innotesceret.

"Veni mecum," inquit rex, "hic tibi morari non licebit! Si te tam probam, quam es pulchra, præstiteris, sericá atque purpurá te induam; coronam auream capiti tuo imponi curabo, faciamque ut in regia mea habites!" Eam itaque in equum sublevavit, ipsa flente, manibusque supplicante; at rex: "Nihil nisi felicitas tua mihi cordi est," inquit, "futurumque est ut aliquando ob id gratias mihi referas;" quibus dictis abequitavit trans montes ac valles, eam in equo ante se sustinens, reliquis venatoribus a tergo sequentibus.

Circa occasum solis, urbs regis capitalis magnifica, cum templis ac turribus, ante se iacebat, atque rex Elisam rectà in regiam detulit, ubi in amplissimo peristylio marmoreo fontes saliebant, parietes autem atque lacunaria pulcherrimis imaginibus pictis erant decora. At Elisa hæc ornamenta, et hunc splendorem

naucifaciebat; silens flebat ac lugebat, etiam dum domestici regiis tunicis ac stolis eam amiciebant, pretiosasque margaritas comæ suæ interplectebant, atque mollia manucia manibus suis pustulatis inducebant.

Nunc vero, ubi ipsa regio splendore induta atque ornata in medio stabat, pulchritudo eius ita effulgebat, ut cuncti aulici eam stupentes sese profunde ante eam proclinarent, rex vero eam in sponsam sibi elegit, tametsi Archiepiscopus caput quatiebat, clamque susurrabat, sub specie istius pulcherrimæ virginis sylvestris sine dubitatione sagam delitescere, quæ adstantes obcœcasset, regi autem eam depereunti caput vertisset.

At rex cuncta hæc sprevit. Loco horum chorum musicum accersi, conviviumque maxime opiparum apparari iussit; virgines formosissimæ adductæ nympham circumsaltabant, tum ipsa per fragrantes hortos in aulas magnificas deducebatur; nihil tamen horum vel ad placide renidendum, nec vel radiolum felicitatis ex oculis eius elicuerunt. Nunc rex parvulum cubiculum, contiguum Elisæ dormitorio aperuit; id sumptuosis tapetis viridibus erat instructum, et in accuratam similitudinem antri erat conformatum, ubi ipsa reperta est. In tabulato iacebat manipulus filorum, quæ ex liciis urticarum neverat, e pariete autem subucula pendebat, quam consummaverat. Unus ve-

natorum, qui in his aliquid miri autumabat, hæc omnia attulit.

"Hic," inquit rex, "licebit tibi de prisca tua domo somniare; hic autem reperies totum tuum opus quo occupabaris; etenim in medio omnis huius splendoris, haud dubie aliquando te iuvabit præterita, in antro te degere fingendo, recolere."

Visis iis rebus, quæ sibi maxime curæ erant, leni subrisu respondit, colorque in genas suas iterum redire cœpit. Ipsa etenim usque sperabat se fratres redimere posse, et hinc manus regis deosculata est. Hic eam amplexatus, cordi admovit, ac tum omnes campanas templorum suæ urbis pulsari iussit, suasque nuptias celebrari per præcones proclamari imperavit. Pulchra virgo muta sylvarum, Regina eius regni evasura erat.

Verum Archiepiscopus verba nefaria in aures regis susurrabat, quæ tamen eum minime moverunt; solemnia nuptiarum perfecta erant, atque Archiepiscopus ipse invitus coronam capiti eius imposuit. Super hoc indignatus, oras arcti annuli coronæ ita capiti eius impressit, ut præ dolore eam perstringerent, at vero dolor longe gravior — mœror luctuosus ob fratres — cor eius magis gravabat, nec proin dolor corporis eam affecit. Ipsa usque silere perrexit — vel unicum enim vocabulum fratres suos perdidisset; attamen oculi sui amore regis, tam boni, tamque for-

mosi, qui ad felicitatem sibi parandam tantum contulerat, mire radiabant. Ipsa se in dies ei arctiori vinculo devinciri sensit. O, quantopere cupiebat illi omnes animi angores atque cruciatus confidere; at silentium sibi custodiendum erat; eloqui, donec totum opus absolvisset, ei licitum non erat. Ad opus igitur accelerandum, clanculum quaque nocte intravit cubiculum in speciem antri instructum; illic operi, subuculas parandi se accinxit, verumtamen quum ad septimam subuculam parandam pervenisset, reperit se totum suum penu exhausisse.

Eam interim non præteribat urticas, quibus ipsa egebat, in sepulcreto procreari, sed necesse erat eas propriis colligi manibus; quí nunc possit eas comparare?"

"Quid, me Castor, dolores manuum sunt cum cruciatu animi mei comparati?" quærebat abs se.

"Audere me oportebit speculcretum adire; Deus ille Optimus et Maximus, tutelam suam, confido, non negabit."

Pavida, acsi quid improbi moliretur, quadam nocte, luná illustri, furtim in hortum derepsit, atque trans longas urbis plateas devenit in viam solitariam in sepulcretum ducentem. Illic animadvertebat in quodam largissimo cipporum[16] non paucas sedere se-

16. *Cippus*, *-i*, palus, sublica, vallus; in sepulcreto autem

nes ac fœdas sagas. Elisæ prope ad eas prætereundum erat, quum sagarum nonnullæ oculos suos nequam in eam defixerunt; verum ipsa preces suas recitans urticas pungentes colligebat, collectas secum in palatium reportavit. Unicus tantum eius rei testis fuit — Archiepiscopus; is enim, quum alii mortales dormiebant, vigilabat. Nunc iam omnino persuasus erat aliquid a regina non probe geri; eam sagam esse oportere, quæ incantamentis et regem, et universum populum, corrupisset.

Occasione itaque oblata Archiepiscopus docuit regem quid ipse vidisset, et quid verendum putaret; quum vero statuæ sanctorum hæc verba maledica, in templo prolata, audivissent, capita feruntur quassavisse, quasi dicerent, "Non est verum; Elisa insons est!" At vero Archiepiscopus portentum hoc prorsus aliter interpretatus est; id testimonium esse contendit contra eam, quum sancti, auditis reginæ delictis, capita singuli quassavissent.

Duæ maiores guttæ lacrymæ per malas regis devolvebantur. Dubitabundus domum redivit. Nocte subsecuta dormire se simulabat, licet somnus eum vitavisset. Itaque animadvertit Elisam, more suo, e lecto surgere singulis noctibus, ipse vero perinde

est crux, aut quidquid ad pedem sepulcri erigitur lignei, ferrei, lapidei, cui titulus inscribitur, quo prætereuntes admoneantur, unde et *monumentum* appellari solet.

quaque nocte surgens, secutus eam est clanculum, viditque eam suum parvum cubiculum intrare.

Animus regis in diem magis contristari cœpit; id Elisam non præteribat tametsi causam ignorasset. Mutationem regii animi ægerrime ferebat, at quantos dolores cordis ipsa non ferebat gratia suorum fratrum! Lacrymæ ex acerbitate sibi oboriebantur, ac per regiam purpuram decurrebant, tamquam adamantes. Alii, qui testes erant suæ magnificentiæ, sortem eius invidebant. Circa hæc tempora, præter unicam, iam omnes subuculæ paratæ erant. At, pro dolor, et fila deficiebant — ne una quidem urtica supererat. Sibi semel tantum, nec amplius, in sepulcretum prodeundum erat, pugillusque afferendus. Non sine tremore de ea solitaria ambulatione, ac de horridis sagis secum cogitavit, quod tamen secum decreverat, tam erat firmum, quam sua in Deo fiducia.

Elisa prodivit, rex autem, atque Archiepiscopus secreto eam sequebantur, testesque fuerunt oculati eius in sepulcretum ingressûs. Quum hi propius venissent, viderunt sagas in cippo sedentes, ut Elisa eas viderat; rex se avertit, quippe qui credidit eam, quæ ipsa hac nocte caput suum in pectus eius reclinavisset, inter illas versari. "Esto, iudicet ergo eam populus!" ait rex. Populus autem eam flammis adiudicavit.

Regina itaque e splendidis regiæ aulis in opacum

uvidumque carcerem abrepta est, ubi ventus clathratam fenestellam cum sibilo perflabat. In locum holosericæ[17] urticas, quas ipsa collegerat, ei attribuerunt, in has caput ei declinandum erat. Subuculæ, quas texerat, sibi vice culcitræ[18] atque vice lodicis erant servituræ. Attamen hi Elisæ nihil præstantius tribuere poterant quam ipsas has res, namque opus suum prosequi poterat, simul etiam eadem fiducia ad Deum preces fundebat.

Tempore crepusculi[19] strepitum alarum extra clathra inaudivit Olorum. Hic frater erat suus natu minimus, qui sororem denique repererat, quæ præ gaudio in singultus erupit, quamvis proximam noctem sibi ultimam fore cognovisset; verumtamen opus suum fere absolutum iam erat, frater autem ad manum.

Interim Archiepiscopus advenit, ut ultimam vitæ Elisæ horam, secundum promissum regi datum, cum captiva exigeret; verum ipsa capite abnuit, atque oculis, manuumque gestu, eum abire iussit. Scilicet

17. Proprie, uti verbum Græcis sonat, quod ex integro sericeum est; latiori sensu est materia texta crassior, cuius villi erecti, et admodum planati ac lævigati, quam Franci a villis *velour*, sive villuram vocant, hinc autem Angli suum *velvet* cuderunt.

18. *Culcitra*, *culcita*, *-æ*, est pulvillus, cui in lecto iacentes caput applicamus; lodix autem est, quo nos tegimus.

19. *Crepusculum*, *-i*, est tempus diei, post occasum solis, antequam tenebræ terras obruant.

hæc erat nox, qua opus suum ad finem perducendum erat, alioquin omnia mala, quæ adhuc pertulisset — dolores corporis et animi, noctes insomnes — incassum fuissent. Archiepiscopus multis verbis iratis tandem discessit, verum infortunata Elisa suæ innocentiæ prorsus conscia erat, prohinc opus prosequebatur suum.

Musculi parvuli interea solerter huc et illuc cursabant, urticas ad pedes eius devehendo, opem illi afferentes; turdus autem clathris ferreis insidens, totam noctem sonora voce cantilans, eam solari conabatur, ne fortitudo animi Elisæ deficeret.

Sol necdum surrexit; uná horá ante ortum, diluculo, quum undecim fratres ante portam regiæ stabant exaudiri a rege flagitantes; sed responsum tulerunt id fieri non posse, quod usque nox esset, rex usque dormiret, nec aulici eum suscitare auderent. Fratres non cessarunt, ulterius supplicabant, minabantur, præsidium prodibat, denique et ipse rex egressus sciscitabatur, quid rei gereretur. Eodem momento sol exortus est, nec fratres amplius conspici poterant, atque undecim candidi Olores supra palatium evolare visi sunt.

Interim magna hominum multitudo extra portas urbis profluxit, combustionem sagæ videndi cupida. Decrepitus quidam caballus ductabat carpentum quod Elisam vehebat; amicta ipsa erat saccario amictu,

longi sui crines passi in humeros defluebant; genæ suæ cadaverose pallebant; labella nervose agitabantur, dum digiti sui usque texebant viridia fila; quippe quæ opus suum ne tunc quidem intermittebat, quum ad supplicium raperetur. Decem subuculæ paratæ ante pedes eius iacebant — nunc iam undecimam ad finem perducere satagebat. Quisquiliæ plebis eam contumeliis lacessebant.

"Cernedum sagam, ut mussat! Ne libellum quidem precum manu gestat; næ, illic sedet cum sua fascinationis apparatu; eripe ei; carpite in mille frustula!"

Iam multi in eo erant ut impetum in eam molirentur, subuculasque ei eriperent, quum undecim candidi Olores plaustrum versus advolabant. Cuncti circum eam consederunt alis dimicantes. Turba perterrita diffugit.

"Signum hoc certe de cœlo est! Profecto ipsa insons est!" aliqui susurrabant, elata tamen voce id prædicare non audebant.

Modo carnifex manum eius apprehendit — ipsa eodem momento undecim subuculas Oloribus iniecit, et confestim undecim formosi Principes Olorum loco comparuerunt. Frater tamen minimus natu unum nonnisi brachium nactus est, loco autem alterius, alam, quandoquidem subucula unam tantum manicam habebat — alterá necdum plane finitá.

"Iam modo fas mihi est loqui," tandem eloquitur Elisa. "Sum insons!"

Nunc vero hominum turba, testis oculatus eventûs, se cum magna reverentia, tamquam ante sanctam, profunde se proclinavit. At ipsa, ex tam diuturna tacitaque exspectatione, ex angustiis animi, doloribusque corporis nimis ægra, in brachia fratrum intermortua concidit.

"Ita, sane," fatur nunc frater natu maximus, "ipsa omnino insons est," ac postmodum circumstanti hominum frequentiæ ex ordine narravit suam omnium historiam. Dum ipse huic narrationi erat intentus, mira circumquaque fragrantia se diffundebat, acsi centena et millia rosarum suavissimo odore manarent; etenim, quodque frustum ligni, e quibus coacervatus rogus erat, ramulos emittebat, radicibus in terram alte fixis; item, sepes rosarum viva Elisam undique incinxit, ac præ omnibus aliis unus quidam flos fulgidi candoris, veluti stellæ, lumine radians, illic enitebat. Rex istum decerpsit, et in sinum Elisæ collocavit, quo facto, Elisa ad se, pace, lætitiá, et gaudio in corde rediit.

Hoc momento omnes campanæ templorum sua sponte sonare cœperunt, avium catervæ ad eum, ubi hi stabant, locum, convolaverunt, unde mox solemni agmine, cui simile nullus unquam rex viderat, in regium palatium retro itum est.

CERASVLA

CERASVLA

SIVE

NYMPHA EX RANA

ALIQVANDO, alicubi vixit rex, cui erant tres filii. Non adeo procul a finibus sui regni senex quædam mulier habitabat, quæ unicam habebat filiam, cui nomen erat Cerasula. Rex quondam dimisit suos filios ut mundum experirentur, ad discendos mores aliarum gentium, sibique peregri sapientiam, dexteritatemque compararent regnum moderandi, quod olim suum erat futurum. Mulier vero senicula interea vitam domi suæ cum filia in pace ac tranquillitate degebat, quæ Cerasula propterea appellabatur, quod cerasa cunctis aliis esculentis longe anteponebat, ac vix ullo alio alimento vescebatur.

At senex matercula nullum pomarium habebat,

nec pecuniam, quá filiæ suæ quotidie cerasa emeret; ac, postremo, nullus alius comparandi supererat modus, nisi ut ipsa nonnas adiret vicinas, quæ spatiosum habebant pomarium attiguum, et ab illis quæ posset optima efflagitaret; nimirum filiam extro mittere non audebat, ipsa enim adeo erat pulchra, ut mater, nequod facinus illi accideret, satius duxit eam domi continere, et ipsa negotii causa exire. Appetentia tamen atque gustus Cerasulæ in vicinia haud erant ignoti. Verumtamen quum abbatissa cerasis haud minus quam ipsa delectaretur, mox compertum est quo hi fructus optimi devenissent; unde Mater Venerabilis haud parum perturbabatur, quum suum penu diminui sentiret, et quid de cerasis factum esset, intelligeret.

Regii iuvenes peregrinatum profecti, etiam in locum, ubi Cerasula cum matre victitabat, pervenerunt. Quum pulchram hanc virginem ante fenestram promissos crines concinnantem casu conspicabantur, quisque trium iuvenum puellam protinus adamavit, palamque edixit, quantopere quisque eam in uxorem accipere cupivisset. Vix hoc edixerunt iuvenes, quisque eorum zelotypiá captus, inter se altercari, iurgari, vociferari, ac denique destrictis ensibus alter alterum impetere, ensibusque dimicare cœperunt. Diu sic certabant quin sanguinem fudissent, sed tamen magis ac magis in furorem agebantur, quod quum abbatis-

sa animadvertisset, prodivit ad portam visum quid illic gereretur. Quum intellexisset suam vicinam in causa esse, irá, veterique sua simultate succensa, cupivit in suo corde, utinam Cerasula in fœdam ranam converteretur, atque in aqua, circa finem mundi, sederet. Dictum atque factum: misella Cerasula in ranam conversa, e conspectu contuentium statim evanuit. Regiis proinde iuvenibus nulla causa pugnandi erat; itaque vaginatis ensibus, ut decet fratres, manus inter se præbuerunt, patriamque domum versus discesserunt.

Senex interea rex vires sibi in dies magis deficere, seque ad gerendum onus regnandi pedetentim minus idoneum fieri sentiens, regnum dedere meditabatur, sed cui dederet, non satis sibi constabat. Quæstio hæc erat, quam cor paternum dirimere nequibat: omnes enim tres filios suos æquo amore prosequebatur.

"Filii mei dilecti," sic eos quondam affatur, "iam ego consenui, viresque mei sensim hebescunt, ita ut mihi in animo sit regiam dignitatem deponere; in animo tamen meo nullo pacto dirimere queo, quem ex vobis mihi, ut potiorem, hæredem statuam; quemque enim vestrum æquo amore paterno prosequor; ac, præterea, etiam perquam cupio ut subditis meis regem ex vobis maxime idoneum, scitissimum, sapientissimumque constituam. Ob hanc itaque causam,

ternis experimentis quemque vestrum tentare decrevi: quiscunque præmium tulerit, is rex esto. Sit ergo primum tentamen: requiro centum ulnas telæ tam subtilis, ut ea per lumen[1] annuli mei traduci possit.

Filii responderunt voluntati patris pro viribus se satisfacere tentaturos, eoque proposito discesserunt.

Duo fratres maiores natu plures comites sibi adsciverunt, et ad cunctas aptas telas quas reperturi essent domum vehendas, magnum apparatum carrorum equorumque secum tulerunt; at minimus natu expeditus[2] profectus est. Haud multo post ad bivium pervenerunt, ubi iter suum multifariam dividebatur; duæ viæ per lætos campos, semitas tritas, umbrososque lucos ducebant. Duo maiores natu vias amœniores sibi elegerunt, minimus autem, fratribus quum valedixisset, viam ingratam ingressus est, sibilandoque iter carpsit.

Ubicunque fratres duo telas subtiles conspicere poterant, eas præstinaverunt, tantam autem copiam earum coemerunt, ut sui carri sub onere creparent, equi autem gemerent. Interea minimus plures dies tædiosos iter faciendo exegit, nec ullum reperit locum

1. Vacuitas, apertura, spatium, quod annulus incingit.
2. Sine sarcina, sine impedimentis et apparatu, vacuus.

ubi telam vel aliquatenus subtilem ac bonam videret. Iam animus ei languescere cœpit, atque singulis milliariis emensis, etiam magis contristabatur.

Tandem ad pontem quemdam, per amnem ducentem, pervenit, ubi ad capiendam quietem, atque ad meditandum de adversa sua fortuna, consedit, quum fœda quædam rana caput ex aqua extulit, ac voce nequaquam aspera interrogabat, quid rei esset. Regius iuvenis submissa voce ait: "Stulta ranuncula, tu mihi prodesse nequis."

"Quisnam te ita docuit?" quærit rana; "fatere tandem quid te angat."

Post aliquam moram regius iuvenis totam rem aperuit, fassusque est cur pater eum peregre misisset. "Ego tibi succurram," respondit rana. His dictis rana se in aquam mersit, sed mox reversa, frustum telæ, palmo humano vix maius, nec munditiá admodum nitens, ut parebat, secum vexit. Quidquid tamen fuerit, aliquid certe fuit, atque regius iuvenis, sic rana monente, id sustulit. Pannulus iste squalidus sibi certe admodum gratus non fuit; attamen aliquid e sermone ranæ percipiebat, quod sibi arrisit, unde sic secum arguebat: "Si non proderit, saltem non oberit," itaque sustulit telam et in sacculum condidit, atque gratiá redditá ranæ, quæ se iterum mersit, ex labore acto non parum lassa et anhela, iuvenis disces-

sit. Quo tamen longius itabat, maximo gaudio animadvertit sacculum suum graviorem fieri, proinde se vertit, iterque suum, fortunæ suæ multum confisus, domum versus flectit.

Eodem fere tempore domum attigit, quo fratres sui equis curribusque ornatis eo pervenerunt. Rex senex filiis suis reducibus magnopere gavisus est, detractoque de digito annulo aureo, experiri perrexit quis filiorum optime meritus esset. Ex omni copia quam duo maiores filii coacervaverunt, ne unum quidem convolutum telæ reperiebatur, cuius vel decima pars per annulum traduci posset. Hæc res eos admodum puduit; nam fratrem minimum non parum ludificaverunt, veluti qui domum re infecta venisset. At quanta erat eorum ira, quum eum e sacculo convolutulum producentem cernerent, quod telam exhibebat, quæ sua subtilitate, mollitie ac pulchritudine millies superabat cuncta quæ ii in sua vita vidissent! Tela enim ita erat subtilis, ut annulum nullo labore transiret; imo, profecto, duæ eiusmodi telæ annulum vix explevissent. Pater fortunatum filiolum amplexatus, domesticis demandavit, ut cæteram omnem telam in mare abiicerent, dein filios sic est allocutus: "Nunc abibitis ut alterum quod vobis impero pensum solvatis: — caniculum adeo minutum vobiscum domum feretis, ut is in putamine nucis commode iacere possit."

Tanto penso haud parum territi sunt filii; quum tamen coronæ omnes essent cupidi, statuerunt fortunam tentare, prohinc paucos post dies se rursus itineri dederunt. Eodem bivio inter se iterum valedixerunt, ubi minimus identidem vetus suum scruposum ac solitarium est prosecutus iter, omni spe fretus, quam prior fortuna sibi pollicita erat.

Vix in saxis prope ad pontem in ripa consederat, quum sua antiqua amica, ex aqua prosiliit, iuxtaque iuvenem considens, magno suo ore aperto, coaxando inquirebat: "Quid rei est?" Regius iuvenis nunc iam minime dubitabat ranam aliqua potentiá pollere, igitur quid vellet, fateri non hæsitabat. "Fiat tibi quod optas," respondit rana; inde aquam saltu petens, paullo post cum nuce avellana reversa, eam ad pedes eius deposuit, tum eam tollere, et ad patrem deferre iussit, ut coram rege eadem leni modo frangeretur, ac tum visuri essent quid eveniret. Regius iuvenis magnopere recreatus iter retrorsum carpsit, rana autem opere fessa, in aquam resiliit.

Fratres eum antecesserunt, magno numero caniculorum omnis generis scitulorum allato. Rex senex studiosus filios quantum poterat iuvandi, maximam quæ reperiri poterat, iuglandem afferri iussit, et cum omnibus caniculis experiri; at vero nullus eorum putamen ita quadrabat, ut aut unus pes posterior, aut caput, aut pes anterior, aut denique cauda extra emi-

neret — uno verbo, unus uno, alius alio modo deficiebat, nec unus omnium verosimile erat in hoc novi generis tugurio canino commode iacere posse. Experientiá omnium factá, minimus filius accessit, et quum se ante patrem officiose proclinasset, nucem avellanam ei porrexit precatus, ut eam caute frangi curaret. Hoc facto, caniculus candidus, maxime scitulus, in manum regis inde exsiliit, caudulamque quassans, domino suo adulabundus se affrixit, inde autem conversus, cæteros caniculos, omni qua par erat vi, delectabili modo allatravit, omni curia arridente. Nemo prorsus inter omnes erat qui ea re delectatus non esset, atque senex rex iterum amplexatus filium suum fortunatum, cæteros caniculos a domesticis in mare proiici iussit, filios autem sic est affatus: "Dilectissimi filii, gravissima pensa vestra iam superavistis; audite nunc meum ultimum propositum: quiscunque vestrum pulcherrimam virginem secum domum tulerit, is meus illico erit hæres."

Præmium laborum adeo allectans, atque certamen, omnibus tam æquum videbatur, ut ad opus se accingere nullus iuvenum dubitaret, utique suo quisque modo palmam relaturus. Minimus natu animo nunc non adeo æstuabat quam antea; sic enim secum cogitabat: "Vetula illa rana hactenus me iuvando certe multum poterat, at nunc omnis sua potentia nihil mihi prodesse poterit; ubinam enim gentium ipsa

mihi pulchram virginem, quin longe pulchriorem quam ulla, quæ in regia patris mei visa sit, comparabit? Palus in qua victitat, nullum vivum animans alit nisi bufones, cenchres, aliasque idgenus bestias."

Interea tamen idem ingreditur iter, venitque ad saxum, ubi ingemiscens considet pendenti animo, ut antea, prope pontem. "Eheu, ranuncula!" fatur ipse, "iam nunc mihi prodesse non poteris."

"Minime id cures," coaxat ranuncula; "modo fatere quid nunc rei sit." Regius igitur iuvenis docuit veterem suam amicam, quod discrimen se supervenisset.

"Carpe viam domum," respondit rana, "pulchra autem virguncula mox te subsequetur; verumtamen tibi caveris quominus rideas, quidquid circa te evenire animadvertas!" His dictis, ut antea, in aquam resiliit, et e conspectu se subduxit.

Regium iuvenem usque suspiria tenebant, quod verbis ranæ modo parum confidebat; attamen haud procul domum versus progressus erat, quum sonitus insuetus a tergo sibi ad aures pervenit, itaque circumversus, sex glires aquaticos grandiusculos conspexit, peponem bene magnum, rhedæque instar tolutim secum trahentes. In sessibulo bene pastus bufo seniculus aurigam agebat, a tergo autem duæ ranæ pedisequi stabant, utrimque autem scituli musculi, propan-

sis mystacibus vicem præsidii præstabant currentes; intra rhedam denique antiqua sua amica, rana, utique non admodum formosa, ac potius turpicula, sedebat, tamen haud sine quadam dignitate, quum prætervecta iuvenem salutabat.

De fortunis suis casu aliquo venustam illam virginem, quam quærebat, reperiendi cogitationibus nimium mersus, singulare spectaculum ante se vix minime dignabatur, nedum ad ridendum super idem propensum se sentiebat. Rheda interim paululum progrediebatur, usque dum ad bivium quoddam perveniret, ubi tumulo quodam interveniente, visui excidit; at quantopere stupuit quum et ipse eo pervenisset, ibique veram ac præstantem rhedam, cum sex furvis equis iunctis, aurigis synthesi eleganti indutis, cerneret, intus autem virguncula, omnium quam unquam conspexerat pulcherrima sedens, se exspectantes starent, et quum virgunculam mox agnosceret esse Cerasulam, cuius aspectus quondam cor suum tantopere inflammaverat! Ut ipse eo pervenit, pedisequi ianuam rhedæ panderunt, et sic invitatus, iuxta pulchram virginem consedit.

Haud multo post in urbem patris regii iuvenis pervenerunt, quo et fratres cum magna puellarum caterva appulerant; simulac tamen Cerasula in conspectum venerat, cuncti aulici ad unum, communi consensu, coronam pulchritudinis ei adiudicaverunt.

Pater lætus amplexatur filium, eum statim hæredem regni constituit, cæteras autem omnes puellas, uti caniculos ante, in mare abiici ac mergi iubet. Denique regius iuvenis Cerasulam connubio sibi iunxit, diuque ac feliciter cum ea vixit, quin etiam modo vivit — nisi sit mortuus.

F I N I S.

AMOR ET PSYCHE

PROLOGIVM

AVCTOR fabulæ AMORIS ET PSYCHES hic Lectoribus candidis ad fruendum oblatæ, LVCIVS APVLEIVS, Madauræ, in oppido Africæ, in finibus Numidiæ, e parentibus Romanis, loco honesto natus, temporibus Hadriani atque Antonini Pii Imperatorum floruit, mortuusque est circa annum 160-imum, post Christum natum.

Fabulam istam scriptores et interpretes Christiani per allegoriam de luctaminibus animæ ad assequendam cœlestem beatitudinem constanter interpretati sunt, et hodie ita intelligi volunt. *Psyche* etenim Græcis animam audit. Quamobrem hæc fabula apud lectores Christianos semper in pretio habebatur, et ideo etiam variæ editiones eius per se variis temporibus evulgabantur.

Nobis fabulas divales ex Anglico in Latinum vertentibus, præter similitudinem argumenti, alia quoque ratio suadere videbatur, quare Apuleii nostri insignem fabellam catalogo nostro ad evulgandum adscriberemus: ipsa nempe Latinitas Apuleii Romana, ut eá, nostræ Latinitati iuxtapositá, Lectoribus benevolis copia comparationis instituendæ daretur, ut vel inde aliquem fructum doctrinæ sibi carpere liceret.

Utrum Lucius, heros fabulæ Metamorphoseon, cum Auctore idem sit, quod hodie iam addubitatur, in medio relinquam. Quod pauculas sententias, nonnulaque verba aut delenda aut mutanda omnes nostri ævi interpretes ratum censuimus: non moribus Auctoris, sed discrimini attribuendum est, quod inter mores omnis prorsus vetustatis atque ævi nostri intercedit.

Quod ad stylum dictionemque attinet Apulleii, sufficiat animadvertere omnes scriptores omnis ætatis et linguæ suum habere stylum, adeo, ut stylus omnino speculum sit animi scribentis, proinde homo ipse. Quum vero nulli duo homines sive corpore, sive animo, inter se prorsus similes esse queant, unius, aut alterius, stylum normam statuere, cui omnes scriptores se accommodare debeant, insanire est. Styli differunt secundum gradum culturæ, conceptuum, habitús, dotumque naturæ diversitates. Nullus auctorum Romanorum fingi potest quin Ciceronem, Livium,

aliosque legerit, et tamen nullus sive unum, sive alterum imitatus est. Quod aliqui *assentio*, *fabrico*, *lætamus*, *redies*, *loquis*, aliaque idgenus scribant, quæ nostris grammaticis repugnant, non inscitiæ est, sed potius docet nos Romanos etiam ita dicere et scribere solitos, nec præcepta grammaticæ tam fuisse rigida et inflexibilia; attamen, *Quod licet Iovi, non licet bovi.*

Longe maior pars Romanarum litterarum temporum iniuria intercidit, ita ut modo fragmenta tantum supersint. Ex his philologi laboribus sæculorum singula vocabula, secundum ætates scriptorum disposuerunt, ac per etymon in classes et ætates digesserunt. Docti hi labores multos criticos, minus peritos, in devia deduxerunt, quippe qui et ipsi crederent, et aliis persuadere conarentur, ipsam linguam Romanam ita in "ante-classicam," "classicam," et "post-classicam" dirimi, ut siqui hodie Latine loquerentur, aut scriberent, hæc tria, aut plura *idiomata* quasi miscerent atque confunderent, scilicet *quadrata rotundis.* Quidnam a sensu communi, quid a vero esse posset magis alienum? Iam SENECA suos æquales monendos iudicavit: *Oratio certam regulam non habet; Consuetudo eam civitatis, quæ nunquam in eodem diu stetit, versat* (Epist. 104). Nulla igitur stabilis et rigida norma orationi præstitui potest, consuetudo ea utentium linguas regunt. Verba obsolescunt, nova

nascuntur, uno ævo verbum quoddam unum casum regit alio ævo alium, eodem iure, nec ideo lingua ipsa *mutatur*, homines mutantur, consuetudo mutatur, nec ideo ipsa lingua *deterior* fit. Quis mihi persuaserit *verisimile* rectius, magis "classicum," "elegantius" esse quam *verosimile?* Cæterum, si "classica elegantia" vel maxime definiri posset, quid prodesset? Non modo nihil, sed omnem Latinitatem prorsus inutilem redderet, quippe qua nec Celsus de Medicina, nec Vegetius de Arte Militari, nec Plinius de Historia Naturali, nec Vitruvius de Architectura, nec quisquam de ulla re sermone oris, aut verbo scripto disserere posset, sed eadem ipsa, quæ auctores illi scripserant, in omne ævum repeti iisque studiosorum oculos obcœcare deberent, donec cives nugarum pertæsi, studium linguæ Latinæ e ludis everrerent.

Nostra studia his omnibus contraria sunt, nempe Latinam linguam conservare, priscis atque historicis iuribus restituere, orthographiam avitam ac traditam a figmentis helleborosis vindicare, atque per præclara exempla APVLEII, quid lingua Latina flexibilitate et aptitudine in omnes usus possit, docere. Eosdem studiosos Latinitatis, quos Scholæ Cæsaribus atque Ciceronibus abalienant stomachosque iis vertunt, nos, sensu communi, simplici ac delectabili lectione APVLEII nostri ad Latinitatem diligendam,

fovendam, et colendam his blandimentis Lecturæ revocare conamur, et ut iidem exclament, confidimus: *O, utinam plures Apuleii atque Petronii e visceribus terræ eruantur! Iam cæterorum habuimus satis!*

INTERPRES.



AMOR ET PSYCHE

ERANT IN QVADAM civitate rex et regina. Hi tres numero filias, forma conspicuas, habuere; sed maiores quidem natu, quamvis gratissima specie, idoneæ tamen celebrari posse laudibus humanis credebantur; at vero puellæ iunioris tam præcipua, tam præclara pulchritudo nec exprimi, ac ne sufficienter quidem laudari sermonis humani penuriá poterat. Multi denique civium, et advenæ copiosi, quos eximii spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, inacessæ formositatis admiratione stupidi,[1] et admoventes oribus suis dexteram, primore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur. Iamque proximas civitates, et attiguas[2] regiones fama pervaserat, Deam, quam cærulum profundum pelagi peperit, et ros spumantium fluctuum educavit, iam

1. Stupentes, mirantes.
2. Contiguas, vicinas.

numinis sui passim tributá veniá, in mediis conversari populi cœtibus; vel certe rursum novo cælestium stellarum germine, non maria, sed terras Venerem aliam virginali flore præditam pullulasse.[3]

Sic immensum[4] procedit in dies opinio; sic insulas iam proximas, et terræ plusculum, provintiasque plurimas fama porrecta[5] pervagatur. Iam multi mortalium longis itineribus, atque altissimis maris meatibus, ad sæculi specimen[6] gloriosum confluebant. Paphum[7] nemo, Cnidum nemo, ac ne ipsa quidem Cythera ad conspectum Deæ Veneris navigabant. Sacra

3. Aliis verbis: Fama per vicinas regiones ac regna perlata est, Deam Venerem, quam glauci maris profunditas pepererat — quæ nata est in profundis cærulei pelagi — et aspergine spumantium undarum erat educata, sua Divinitate permittente, in medio populo versari, apparuisse inter homines mortales; vel, si hoc non, certe e stellarum cœlestium stirpe, iam non maria, sed terram procreavisse aliam Venerem, ex flore virginali, qui terræ concessus, datus, erat. — *Pullulare*, proprie, pullos producere; tum, germinare, herbæ, arbores, flores, pullulant; item, ut, hic, terra pullulat herbas, flores, arbores; idem de animalibus, gignunt, generant, gignuntur, generantur, pariunt, nascuntur.

4. *In* immensum (spatium, modum), propagatur, diffunditur, divagatur fama, rumor, unde *opinio publica.*

5. Protensa, extensa, aucta.

6. Miraculum eius ætatis.

7. Urbs in insula Cypro, Veneri sacra, ubi celebre eius templum exstabat; modo *Baffo.* — Urbs in Caria, memorabilis ob insignem statuam Veneris, ab ipso Praxitele factam; modo *Cnido.* — *Cythéra, -orum,* in Mari Ægæo, ob insignem Veneris cultum celebria, unde et ipsa Venus Cytheréa appellabatur.

Deæ deseruntur, templa deformantur; pulvinaria[8] proteruntur; cærimoniæ negliguntur; incoronata simulacra, et aræ viduæ[9] frigido cinere fœdatæ. Puellæ supplicatur, et in humanis vultibus Deæ tantæ numina placantur, et in matutino progressu[10] virginis victimis et epulis Veneris absentis numen propitiatur. Iamque per plateas[11] commeantem populi frequenter floribus sertis, et solutis apprecantur.

Hæc honorum cœlestium ad puellæ mortalis cultum immodica translatio, veræ Veneris vehementes incendit animos; et, impatiens indignationis, capite quassanti fremens altius, sic secum disserit: "En rerum naturæ prisca parens, en elementorum origo initialis, en orbis totius alma Venus, quæ cum mortali puella partiario[12] maiestatis honore tractor! et nomen

8. *Pulvinar, -is, n.*, sella, scamnum, grabatum, tomento efferctum, farctum, ut ad sedendum ante statuas Deorum, in templis Deorum, sedentibus sit mollis sessio.

9. *Viduus, -a, -um;* vir cuius uxor mortua est, *viduus*, mulier post mortem mariti *vidua* appellatur; hic sensu translato, figurativo, ara sine igne et sacrificio, est *vidua*.

10. Quum ista pulchra puella mane prodit, exit domo sua.

11. *Platea, -æ*, via latior in urbe, uti "Platea Quinta," — incedentem, ambulantem.

12. *Partiarius, -a, -um*, quidquid partitum est, non integrum; rusticus, qui agrum alienum colit, et partem proventûs accipit, est "partiarius." Hic eodem modo Venus fingitur non integrum, ut deberet, sed partiarium obtinere honorem, quia honor inter se, atque puellam terrestrem divisus erat.

meum cœlo conditum[13] terrenis sordibus profanatur. Nimirum communi numinis piamento vicariæ venerationis incertum sustinebo,[14] et imaginem meam circumfert puella moritura. Frustra me pastor ille,[15] cuius iustitiam fidemque magnus comprobavit Iupiter, ob eximiam speciem tantis prætulit Deabus. Sed non adeo gaudens ista, quæcunque est, meos honores usùrpabit. Iam faxo huius etiam ipsius illicitæ formositatis pœniteat."

Et vocat confestim puerum suum, pennatum illum, et satis temerarium, qui malis suis moribus, contemptá disciplinâ publicá, flammis et sagittis armatus, per alienas domos nocte discurrens pacem turbat, ac nihil prorsus boni facit. Hunc, quamquam licentiá linguæ utique audacem, verbis quoque insuper stimulat. Perducit ad illam civitatem, et Psychem — hoc enim nomine puella nuncupabatur — coram ostendit. Et totá illá de formositatis æmulatione fabulá, gemens ac fremens indignatione:

"Per ego te," inquit, "maternæ charitatis fœdera deprecor, per tuæ sagittæ dulcia vulnera, per flammæ

13. Cœlo reconditum, abditum.

14. Nam, si hoc tolerem, tolerabo sacrificia expiatoria ordinario Numini, sive Divinitati, dari solita ex veneratione secundaria, dum puella terrestris usurpat meam similitudinem, ego autem ero Numen incertum.

15. Nempe Paris, qui malo aureo Veneri attributo, eam Dearum pulcherrimam iudicavit.

istius mellitas uredines,[16] vindictam tuæ parenti, sed plenam tribue, et pulchritudinem contumacem reverenter vindica, idque unum, et præ omnibus unicum volens effice. Virgo ista amore flagrantissimo teneatur hominis extremi,[17] quem et dignitatis et patrimonii[18] simul, et incolumitatis ipsius, fortuna damnavit, tamque infimi, ut per totum orbem non inveniat miseriæ suæ comparem."

Sic effata, et osculis hiantibus filium diu ac pressule saviata,[19] proximas oras reflui littoris petit, plantisque roseis vibrantium fluctuum summum rorem calcavit. Ecce iam profundi maris udo resedit vertice; et ipsum quod incipit velle, statim quasi pridem præcepit, non moratur marinum obsequium. Adsunt Nerei filiæ chorum canentes, et Portunus[20] cærulis barbis hispidus, et gravis piscoso sinu Salacia,[21] auriga parvulus delphini, Palæmon; iam passim maria persultantes Tritonum[22] catervæ. Hic conchá sonaci leniter buccinat; ille serico tegmine flagrantiæ solis

16. Ustiones, ignes.
17. Infimi, plebeii.
18. Opum, divitiarum.
19. Osculata, ore patulo.
20. Etiam *Portumnus*, Palæmon, Græcorum, est Deus Portuum, quos naves, terram petentes, intrant.
21. Dea marium, uxor Neptuni.
22. Deorum marinorum turba. *Triton* fuit filius Neptuni ex Amphitriti, tubicen marinus, qui concham sonantem inflans, mare commoveri, aut residere iubere solebat.

obsistit inimici; alius sub oculis dominæ speculum prægerit; currus biiuges alii subnatant.

Talis ad Oceanum pergentem Venerem comitatur exercitus.

Interea Psyche cum sua sibi præcipua pulchritudine nullum decoris sui fructum percipit. Spectatur ab omnibus, laudatur ab omnibus; nec quisquam, non rex, non regius, nec de plebe saltem, cupiens, eius nuptiarum petitor accedit. Mirantur quidem divinam speciem, sed ut simulacrum fabre politum, mirantur omnes. Olim duæ maiores sorores, quarum temperatam formositatem nulli diffamarant[23] populi procis regibus desponsæ, iam beatas nuptias adeptæ: sed Psyche virgo vidua domi residens, deflet desertam suam solitudinem, ægra corporis, animi saucia; et quamvis gentibus totis complacitam, odit in se suam formositatem. Sic infortunatissimæ filiæ miserrimus pater, suspectatis cœlestibus odiis, et iræ Superûm metuens, Dei Milesii[24] vetustissimum perconta-

23. Nulla multitudo prædicabat, famam pulchritudinis proclamabat atque diffundebat.

24. Miletus, urbs Cariæ, in Asia Minori; Deus Milesius est Apollo, utpote qui illic templum atque oraculum habebat. Ionia erat provintia Asiæ Minoris. *Conditor Milesiæ*, sive Mileti, fuit quidem Miletus; at nec Apollo fuit Ionicus, quippe qui in insula Delo, in Mari Ægæo, fertur fuisse natus, nec Miletus scivit Latine, quippe qui Solis dicitur fuisse filius, hoc est antiquitatis fabulosæ longe antea quam sive Latium, unde Latina lingua originem traxit, sive Roma condita esset.

tur oraculum; et tanto Numine precibus et victimis ingratæ virgini petit nuptias et maritum. Sed Apollo, quamquam Græcus et Ionicus, propter Milesiæ conditorem. sic Latina sorte[25] respondit:

"Montis in excelsi scopulo desiste puellam
 Ornatam mundo funerei thalami;
Nec speres generum mortali stirpe creatum;
 Sed sævum atque ferum, vipereumque malum,
Qui pennis volitans super æthera cuncta fatigat,
 Flammaque et ferro singula debilitat;
Quem tremit ipse Iovis;[26] quo Numina terrificantur,
 Fluminaque horrescunt, et Stygiæ tenebræ."

Rex olim beatus, affatu sanctæ vaticinationis accepto, piger, tristisque retro domum pergit, suæque coniugi præcepta sortis enodat[27] infaustæ. Mœretur, fletur, lamentatur[28] diebus plusculis. Sed diræ sortis iam urgent tætri effectus. Iam feralium[29] nuptiarum miserrimæ virgini choragium[30] struitur; iam tæ-

25. Oracula prædicunt futura, i. e., fata, sive *sortem*, respondit, prædixit sermone Latino.

26. Licentia poetica, ipse Iupiter.

27. Explicat; ut nodum solvit.

28. Verbum deponens, auctor passivum impersonale facit.

29. Feralis, ex *fero*, *effero*, scilicet mortuum ad sepeliendum; mortuarius, sepulcralis.

30. Chorum, vel choros + ago, salto, chorus musicorum, cantatorum, saltatorum, saltatricum.

dæ[31] lumen atræ fuliginis cinerem arcessit; et sonus tibiæ Zygiæ mutatur in querulum Lydium modum;[32] cantusque lætus Hymenæi[33] et puella nuptura deterget lacrymas ipso suo flammeo.[34]

Sic affectæ domús triste fatum tota etiam civitas congemebat, luctuque publico confestim congruens edicitur iustitium.[35] Sed monitis cœlestibus parendi necessitas misellam Psychem ad destinatam pœnam efflagitabat.

Perfectis igitur feralis thalami cum summo mœrore solemnibus, toto prosequente populo, vivum producitur funus, et lacrymosa Psyche comitatur non nuptias, sed exsequias suas. Ac, dum mœsti parentes, et tanto malo perciti, nefarium facinus perficere conantur, ipsa illa filia talibus eos adhortatur vocibus:

"Quid infelicem senectam fletu diutino cruciatis? Quid spiritum vestrum, qui magis meus est, crebris eiulationibus fatigatis? Quid lacrymis inefficacibus

31. Fax, facula, frustum ligni ardens; unde multum fumi atri parum luminis, atque cineres afferunt. Lumen — arcessit, affert.

32. Ex læto in tristem modum, modulum, melodiam.

33. *Hymen*, *-is*, Deus matrimonii, nuptialis; *ululatus*, *-ûs*, proprie canes ululant in lunam, hic sumitur pro singultu, fletu, ploratu, singultibus, et eiulatione.

34. *Flammeum*, velum reticulatum mulierum, quo vultum velare solitæ erant, sic vocatum a colore flammeo.

35. Cessatio fori, iudiciorum, omnis laboris, dies feriatus, vacatio ab omni labore, feriæ.

ora mihi veneranda fœdatis? Quid laceratis in vestris oculis mea lumina? Quid canitiem scinditis? Quid pectora sancta tunditis? Hic erunt vobis egregiæ meæ formositatis præclara præmia. Invidiæ nefariæ lethali plaga percussi, sero sentitis. Quum gentes et populi celebrarent nos divinis honoribus; quum novam me Venerem ore consono nuncuparent: tunc dolere, tunc flere, tunc me iam quasi peremptam lugere debuistis. Iam sentio, iam video, solo me nomine Veneris periisse. Ducite me, et, cui sors addixit, scopulo sistite. Festino felices istas nuptias obire; festino generosum illum maritum meum videre. Quid differo? Quid detrecto venientem, qui totius orbis exitio natus est?"

Sic profata virgo, conticuit, ingressuque iam valido pompæ[36] populi prosequentis sese miscuit.

Itur ad constitutum scopulum montis ardui, cuius in summo cacumine statutam puellam cuncti deserunt, tædas nuptiales, quibus præluxerant, ibidem lacrymis suis extinctas relinquentes; choragio itaque perfecto, deiectisque capitibus, domuitionem parant.

Et miseri quidem parentes eius tanta clade defessi, clausæ domûs abstrusi tenebris, perpetuæ nocti sese dedidere. Psychem autem paventem ac trepi-

36. Processioni.

dam, et in ipso scopuli vertice deflentem, mitis aura molliter spirantis Zephyri, vibratis hinc inde laciniis, et reflato sinu sensim levatam, suo tranquillo spiritu vehens, paulatim per devexa excelsæ vallis subditæ florentis csæpitis gremio leniter delapsam, reclinat.

Psyche teneris et herbosis locis in ipso toro,[37] roscidi graminis, suave[38] recubans, tanta mentis perturbatione sedata, dulce conquievit; iamque sufficienti recreata somno, placidiori resurgit animo. Videt lucum proceris et vastis arboribus consitum; videt fontem vitreo latice[39] perlucidum, medio luci meditullio.[40] Prope fontis allapsum domus regia est, ædificata non humanis manibus, sed divinis artibus. Iam scires ab introitu primo, Dei cuiuspiam luculentum et amœnum videre te diversorium.[41] Nam summa laquearia citro et ebore curiose cavata, subeunt aureæ columnæ; parietes omnes argenteo cælamine conteguntur, bestiis et idgenus pecudibus occurentibus ob os introeun-

37. Lecto.

38. *Suave*, suaviter; *dulce*, dulciter, formæ poetis gratæ.

39. Omne liquidum, præsertim aqua; aqua limpida, tamquam vitrum, crystallum, translucens.

40. *Meditullium*, tamquam medulla, quod est arctissime in medio, pars intima; *lucus* est minor sylva, præsertim intra urbes, aut prope; nemus.

41. Non habitaculum ordinarium, sed ædes, palatium; etiam domus quotidiana, quo quis se in itinere, urbe peregrina, *divertit*.

tium.[42] Mirum prorsum magnæ artis subtilitate tantum efferavit argentum. Enimvero pavimenta ipsa lapide pretioso, cæsim[43] diminuto, in varia picturæ genera discriminantur. Vehementer, iterum ac sæpius beatos illos, qui super gemmas et monilia calcant.

Iam cæteræ partes longe lateque dispositæ domûs, sine pretio pretiosæ, totique parietes solidati massis aureis, splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus faciat, licet sole nolente; sic cubicula, sic porticus,[44] sic ipsæ valvæ fulgurant. Nec secius opes cæteræ maiestati domûs respondent: ut equidem illud recte videatur ad conversationem humanam magno Iovi fabricatum cœleste palatium.

Invitata Psyche talium locorum oblectatione, propius accessit, et paullo fidentior, intra limen sese facit. Mox prolectante[45] studio pulcherrimæ visionis

42. Hoc est: Tectum interius — laquear, lacunar — aulæ, in quadrata minora divisum, *ligno* citreo, et ebore — *ebur* autem est dens elephanti — erat distinctum opere musivo; *his* subeunt, ad hæc sustentanda, videlicet aureæ columnæ; parietes in circuitu laminis argenteis cælatis, incisis, sculptis (cælus est instrumentum sculptorum); cælatæ autem erant figuræ bestiarum, ferarum, quæ vultibus oculisque intrantium minaces apparebant.

43. Lapides pretiosi, ut puta, onyx, in minutas particulas cæsi, concisi, secti in quadraturas, triangulos, circulos, variorum colorum, ut fit in opere musivo.

44. Hic per *porticum* intelligitur id quod hodie *ambitum*, sive *fauces*, appellamus, unde utrimque ingressus fit in cubicula. *Valvæ* autem ipsæ sunt ianuæ.

45. Allectante, illectante, alliciente, invitante.

miratur singula. Et altrinsecus[46] ædium horrea, sublimi fabrica perfecta, magnisque congesta gazis[47] conspicit. Nec est quidquam quod ibi non est. Sed præter cæteram tantarum divitiarum admirationem, hoc erat præcipue mirificum, quod nullo vinculo, nullo claustro, nullo custode totius orbis thesaurus ille muniebatur. Hic ei summa cum voluptate visendi offert sese vox quædam corporis sui nuda.[48]

"Et, quid," inquit, "domina, tantis obstupescis opibus? Tua hæc sunt omnia. Prohinc cubiculo te refer, et lectulo lassitudinem refove, et ex arbitrio lavacrum pete. Nos, quarum voces accipis, tuæ famulæ, sedulo tibi pr ministrabimus; nec corporis cura te, nec regales epulæ morabuntur."

Sensit Psyche Divinæ Providentiæ beatitudinem, monitusque voces informes audiens, et prius somno, et mox lavacro, fatigationem diluit. Visoque statim proximo semirotundo, suggestum propter, instrumentum cœnatorium rata, refectui suo commodum, libens accumbit.[49] Et illico vini nectarei, eduliorumque

46. Ex altera parte domûs, camera penuaria, victuaria, magna arte fabrorum, *faberrime*, facta, structa.

47. *Gaza*, *-æ*, thesaurus, opes, divitiæ; Psyche videt cameram penuariam, magna arte factam, ingenti apparatu esculentorum, cibariorum, alimentorum cumulatam, referctam, plenam.

48. Sola vox, sine corpore.

49. Post lavacrum, sive balneum, egrediens Psyche, animadvertit prope ad suggestum, sive mensam semicircularem, i. e., in speciem semicirculi, vel lunæ dimidiatæ, alium suggestum iuxta, supellectilem cœnatoriam eum putavit, cui accubitura se cœnando pulchre reficere posse, itaque libenter accubuit.

variorum fercula copiosa, nullo serviente, sed tantum spiritu quodam impulsa, subministrantur. Nec quemquam tamen illa videre poterat, sed verba tantum audiebat excidentia, et solas voces famulas habebat.

Post opimas dapes quidam introcessit, et cantavit invisus; et alius cithará pulsavit, quæ videbatur nec ipsa. Tunc modulatæ multitudinis conferta vox ad aures eius affertur: ut quamvis hominum nemo paréret, chorum tamen esse patéret.

Finitis voluptatibus, vespera suadente, concedit Psyche cubitum. Iamque provecta nocte clemens quidam sonus aures eius accidit. Tunc, pro tanta solitudine sibi metúens, et pavet et horrescit, et quovis malo plus timet, quod ignorat. Iamque aderat ignobilis[50] maritus, et uxorem sibi Psychem fecerat, et ante lucis exortum propere discesserat; statim voces cubiculo præstolatæ novam nuptam salutant.

Hæc diutino tempore sic agebantur. Atque, ut est naturá redditum,[51] novitas per assiduam consuetudinem delectationem ei commendarat, et sonus vocis incertæ solitudinis erat solatium.

Interea parentes eius indefesso luctu, atque mœrore animi consenescebant. Latiusque porrecta fama,

50. Hoc in sensu *ignotus*, qui nec cognosci possit.
51. Ut rerum natura hoc constituit, ut fit naturá.

sorores illæ maiores cuncta cognoverant, propereque mœstæ atque lugubres, deserto Lare;[52] certatim ad parentum suorum conspectum, affatumque perrexerant.

Ea nocte ad suam Psychem sic infit[53] maritus — namque præter oculos, et manibus et auribus sentiebatur —

"Psyche, dulcissima, et chara uxor, exitiale tibi periculum minatur Fortuna sævior, quod observandum pressiore cautela censeo. Sorores iam tuæ, mortis opinione turbatæ, tuumque vestigium requirentes, scopulum[54] istum protinus aderunt. Quarum siquas lamentationes acceperis, neque respondeas, imo nec prospicias omnino. Cæterum, mihi quidem gravissimum dolorem, tibi vero summum creabis exitium."

Annuit, et ex arbitrio mariti se facturam spopondit. Sed eo simul cum nocte dilapso, diem totum lacrymis ac plangoribus misella consumit: se nunc maxime prorsus periisse iterans, quæ beati carceris custodia septa, et humanæ conversationis colloquio viduata, ne sororibus quidem suis de se mœrentibus opem salutarem ferre, ac ne videre eas quidem omnino posset. Nec lavacro, nec cibo, nec ulla denique refectione recreata, flens ubertim decessit ad somnum.

52. Deserto domicilio.
53. Loquitur, affatur.
54. *Ad* scopulum istum.

. . Nec mora; quum paullo maturius adveniens, eamque etiamnum lacrymantem complexus, sic expostulat:

"Hæccine mihi pollicebare, Psyche mea? Quid iam de te tuus maritus exspecto? quid spero? Et perdia, et pernox, nec inter amplexus coniugales desinis cruciatus. Age iam nunc ut voles, et animo tuo damnosa poscenti pareto; tantum memineris meæ seriæ monitionis, quum cœperis sero pœnitere."

Tunc illa precibus, et dum se morituram comminatur, extorquet a marito, cupitis annuat: ut sorores videat, luctus mulceat, ora conferat. Sic ille novæ nuptæ precibus veniam tribuit, et, insuper, quibuscunque vellet, eas auri,[55] vel monilium donare concessit. Sed identidem monuit, ac sæpe terruit, nequando sororum pernicioso consilio suasa, de forma mariti quærat, neve se sacrilega curiositate, de tanto fortunarum suggestu pessum deiiciat, nec suum postea contingat amplexum.

Gratias egit marito, iamque lætior animo:

"Sed prius," inquit, "centies moriar, quam tuo isto dulcissimo connubio caream. Amo enim et efflictim te, quicunque es, atque ut meum spiritum dili-

55. *Auri*, vel *monilium* subaudi *dono;* hoc est, maritus indulsit uxori, ut non modo exciperet sorores in palatio, sed, si ita sibi videretur, dona auri, vel monilium, sive catenulas aureas eis donaret.

go, nec ipsi Cupidini comparo. Sed illud etiam precibus meis oro, largire, et illi tuo famulo præcipe Zephyro, simili vectura sorores huc mihi sistat."

Et imprimens oscula suasoria, et ingerens verba mulcentia, et iungens membra cohibentia, his etiam bladitiis adstruit:

"Mellite mi marite, tuæ Psyches dulcis anima."

Invitus succubuit maritus, et cuncta se facturum spopondit. Atque etiam, luce proximante, de manibus uxoris evanuit.

At illæ sorores percontatæ scopulum locumque illum quo fuerat Psyche deserta, festinantes adveniunt, ibique deflebant oculos, et plangebant ubera, quoad crebris earum eiulatibus saxa cautesque parilem sonum resultarent.[56] Iamque nomine proprio sororem miseram ciebant, quod sono penetrabili vocis ululabilis per prona delapsæ,[57] amens et trepida Psyche procurrit e domo, et

"Quid," inquit, "vos miseris lamentationibus nequidquam affligitis? Quam lugetis, adsum. Lugubres voces desinite, et diutinis lacrymis madentes genas

56. Similem sonum reverberarent, redderent, *echo*.

57. Sensus: Nunc iam sorores illæ duæ, suam sororem, Psychem, nominatim, suo proprio nomine, "Psyche, Psyche," vocitabant, clamoribus allectabant, usque adeo, ut clamor, vox earum acuta "per prona," per planitiem, de monte diffusa, ad Psychem usque in palatio perveniret, quæ fere amens, &c.

siccate tandem, quippe quum tam possitis, quam plangebatis, amplecti."

Tum vocatum Zephyrum præceptis maritalibus admonet. Nec mora. Quum ille parens imperio, statim clementissimis flatibus, innoxiá vecturá deportat illas. Iam mutuis amplexibus, et festinantibus saviis[58] sese perfruuntur; et illæ sedatæ lacrymæ postliminio[59] redeunt, prolectante gaudio.

"Sed et tectum," inquit, "et Larem nostrum lætæ succedite, et afflictas animas cum Psyche vestra recreate."

Sic allocuta, summas opes domús aureæ, vocumque servientium populosam familiam auribus earum demonstrat, lavacroque pulcherrimo, et inhumanæ[60] mensæ lautitiis eas opipare reficit, ut illarum prorsus cœlestium divitiarum copiis affluentibus satiatæ, iam præcordiis[61] penitus nutrirent invidiam.

Denique altera earum satis scrupulose, curioseque percontari non desinit, quis illarum rerum cœlestium dominus, quisque et qualis ipsius sit maritus. Nec tamen Psyche coniugale illud præceptum ullo pacto temerat, vel pectoris arcanis exigit, sed e re

58. Crebris, frequentibus, celeribus osculis.
59. Paullo post, postea.
60. *Inhumanæ*, non humanæ, divinæ.
61. Circa cor, in intimo corde.

nata[62] confingit, esse iuvenem quemdam, et speciosum, commodum lanoso barbitio genas inumbrantem, plerumque rurestribus et montanis venatibus occupatum. Et, nequa sermonis procedentis labe consilium tacitum proderetur, auro facto,[63] gemmosisque monilibus onustas eas, statim vocato Zephyro, tradit reportandas. Quo protinus perpetrato, sorores egregiæ domum redeuntes, iamque gliscentis invidiæ felle flagrantes, multa secum sermonibus mutuis perstrepebant. Sic denique infit altera:

"En orba, et sæva et iniqua Fortuna! hoccine tibi complacuit, ut utroque parente prognatæ, diversam sortem sustineremus? Et nos quidem, quæ natu maiores sumus, maritis advenis ancillæ deditæ, extorres,[64] et Lare, et ipsá patriá degamus, longe parentum velut exsulantes; hæc autem novissima, quæ ultima nata est, tantis opibus, et Deo marito potita, quæ nec uti recte tantá bonorum copiá novit. Vidisti, soror, quanta in domo iacent, et qualia monilia, quæ prænitent vestes, quæ splendicant gemmæ, quantum, præterea, calcatur aurum? Quodsi maritum etiam tam formosum tenet, ut affirmat: nulla[65] nunc

62. Sed pro occasione, *ad hoc*, quidquid sibi in mentem tum venerat.

63. Rebus aliquibus, ex auro factis.

64. *Extorris*, *ex — terra*, *extra terram*, sine patria, extra terram natalem; conqueruntur enim se maritis *advenis*, peregrinis in matrimonium datas esse.

65. Nulla, subaudi, *mulier*.

in orbe toto felicior vivit. Fortassis tamen, procedente consuetudine, et affectione roborata, Deam quoque illam Deus maritus efficiet. Sic est, Hercules, sic se gerebat, ferebatque. Iamiam sursum respicit, et Deam spirat mulier,[66] quæ voces ancillas habet, et ventis ipsis imperat. At ego misera, primum patre meo seniorem maritum sortita sum, dein, cucurbitá glabriorem, et quovis puero pumiliorem, cunctam domum seris et catenis obditam custodientem."

Suscipit alia: "Ego vero maritum articulari etiam morbo complicatum[67] curvatumque, sustineo, quamobrem me negligit, plerumque detortos et duratos in lapidem digitos eius perfricans, fomentis olidis,[68] et pannis[69] sordidis, et fœtidis cataplasmatis[70] manus tam

66. Mulier quum sit, se iam Deam esse affectat; *spirat*, edit odorem, odorem circa se spargit.

67. Morbus articulorum pedum ac manuum, Græcis vocabulis *podagra*, *chiragra*, quæ artus contrahunt, *complicant*, plicant, convolvunt, incurvant.

68. *Fomentum* est quidquid e scintilla ignem concipit; item id quod fovet, calorem affert, uti emplastra, puls, aqua calida; quædem emplastra male olent, fœtent, sunt *olida*.

69. *Pannus*, proprie materia vestium nostrarum exteriorum est, eo vocabulo tamen etiam vestes, aut partes vestium laceras, tritas, centones, vel abiectas ac sordidas designamus, ut hic, turundæ, laciniæ, ligaturæ, quibus vulnera obligantur *panni* appellantur.

70. *Cataplasma, -atis, n.*, vel etiam *-mus, -i*, ut hic, est puls, emplastrum, quod vulneribus applicant et illigant; *-tis*, est contracta forma pro cataplasma*tibus*.

delicatas istas adurens, nec uxoris officiosam faciem, sed medicæ laboriosam personam sustinens. Et tu quidem, soror, víderis, quam patienti, vel potius servili — dicam enim libere quod sentio — hæc perferas animo; enimvero ego nequeo sustinere ulterius tam beatam fortunam collapsam indigne. Recordare enim quam superbe, quam arroganter nobiscum egerit, et ipsa iactatione immodicæ ostentationis, tumentem suum prodiderit animum; deque tantis divitiis exigua nobis invita proiecerit, confestimque præsentiá nostrá gravata, propelli et efflari, exsibilarique iusserit. Nec sum mulier, nec omnino spiro nisi eam pessum de tantis opibus deiecero. Ac, si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra contumelia: consilium validum ambæ requiramus. Iamque ista quæ ferimus, non parentibus nostris, ac ne ulli demonstremus alii; imo nec omnino quidquam de eius salute norimus.[71] Sat est quod ipsæ vidimus, et quæ vidisse pœnituit: nedum ut genitoribus, et omnibus populis tam beatum eius differamus[72] præconium. Nec sunt enim beati quorum divitias nemo novit. Sciet se non ancillas, sed sorores habere maiores. Et nunc quidem concedamus[73] ad maritos, et Lares pauperes nostros, sed plane sobrios, revisamus, diuque cogitationibus

71. *Noverimus;* quasi nihil sciamus.
72. *Diffundamus*, prædicemus, enuntiemus, divulgemus.
73. *Concedamus*, eamus.

pressioribus[74] instructæ, ad superbiam puniendam firmiores redeamus."

Placet pro bono duabus malis malum consilium; totisque illis tam pretiosis muneribus absconditis, comam trahentes, et, perinde ut merebantur, ora lacerantes, simulatos redintegrant fletus. Ac sic parentes quoque, redulcerato[75] prorsus dolore, raptim deserentes, vesaniá turgidæ, domus suas contendunt, dolum scelestum, imo vero parricidium[76] struentes contra sororem insontem.

Interea Psychem maritus ille, quem nescit, rursum suis illis nocturnis sermonibus sic commonet:

"Videsne quantum tibi periculum velitatur[77] Fortuna eminus? ac nisi longe firmiter[78] præcaves, mox comminus[79] congredietur. Perfidæ lupulæ magnis conatibus nefarias insidias tibi comparant, quarum summa est, ut te suadeant meos explorare vultus, quos, ut tibi sæpe prædixi, non videbis, si videris.[80]

74. *Pressioribus*, accuratioribus doctæ.

75. Re + ulcero, re-*d*-ulcero, ulcus, vulnus renovo, refrico.

76. Non proprie; *parricidium* proprie est occisio parentis; sed latius accipitur pro quolibet flagranti crimine.

77. Machinatur, *éminus*, e longinquo, ex tuto loco.

78. Valde firmiter.

79. Coram, ante faciem, ut videas et sentias.

80. Si vultum mariti tui semel *conspexeris*, non *iterum* videbis, quia ego, maritus, te deseram, abs te abibo.

Ergo igitur si posthac pessimæ illæ lamiæ,[81] noxiis animis armatæ venerint, venient autem, scio, neque omnino sermonem conferas, et, si id tolerare pro genuina simplicitate, proque animi tui teneritudine non poteris, certe de marito nil quidquam vel audias, vel respondeas. Futurum enim est, ut prolis nobis nascatur, quæ, si texeris nostra secreta silentio, divina erit, si profanaveris, fiet mortalis."

Nuntio Psyche læta florebat, et divinæ sobolis solatio plaudebat, et futuri pignoris gloriá gestiebat, et materni nominis dignitate gaudebat.

Crescentes dies et menses exeuntes anxia numerat, ei sui statûs nescia rudimenta miratur. Sed iam pestes illæ, teterrimæque Furiæ anhelantes viperarum virus, et festinantes, impia celeritate navigabant.

Tunc sic iterum momentarius maritus suam Psychem admonet:

"Dies ultima, et casus extremus, et sexus infestus, et sanguis inimicus iam sumpsit arma, et castra commovit, et aciem direxit, et classicum personuit. Iam mucrone destricto iugulum tuum nefariæ tuæ sorores petunt. Heu quantis urgemur cladibus, Psyche, dulcissima! Tui nostrique miserere; religiosaque continentia domum, maritum, teque, et istum

81. *Lamia*, -*æ*, mulier vetula, malefica, quæ noctu circumerrat, infantum sanguinem sugit, saga.

parvulum nostrum, imminentis ruinæ infortunio libera, nec illas scelestes fœminas, quas tibi post internecinum odium, et calcata sanguinis fœdera sorores appellare non licet, vel videas, vel audias, quum more Sirenum scopulo prominentes funestis vocibus saxa personabunt."

Suscipit[82] Psyche, singultu lacrymoso sermonem incertans:[83]

"Iam dudum quod sciam, fidei atque parciloquii mei perpendisti documenta; nec eo secius approbabitur tibi nunc etiam firmitas animi mei. Tu modo Zephyro nostro rursum præcipe, fungatur obsequio, et in vicem denegatæ sacrosanctæ imaginis tuæ, redde tantum conspectum sororum, per istos cinnameos,[84] et undique pendulos crines tuos, per teneras et teretes, et mei similes genas, per pectus, nescio quo calore fervidum. Sic in hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam, supplicis anxiæ piis precibus erogatus germani complexûs indulge fructum, et tibi devotæ, charæque Psyches animum gaudio recrea, nec quidquam amplius in tuo vultu requiro. Iam nihil officiunt mihi nec ipsæ nocturnæ tenebræ. Teneo te meum lumen."

82. Excipit, prosequitur sermonem, respondet.

83. Acerbo fletu sermonem suum *incertum* reddens atque indistinctum.

84. Crines *cinnámei*, odorem cinnamómi, vel cínnami, redolentes, odoris suavissimi.

His verbis, et amplexibus mellitis decantatus[85] maritus, lacrymasque eius suis crinibus detergens, facturum spopondit, et prævertit statim lumen nascentis diei.

Iugum[86] sororium consponsæ factionis, nec parentibus quidem visis, rectá de navibus scopulum petunt illum præcipiti cum velocitate, nec venti ferentis oppertæ præsentiam, licentiosa cum temeritate prosiliunt in altum. Nec immemor Zephyrus regalis edicti quamvis invitus, susceptas eas gremio spirantis auræ, solo[87] reddidit. At illæ incontatæ,[88] statim conserto vestigio, domum penetrant, complexæque suam prædam, sorores nomine mentientes, thesaurumque penitus abditæ fraudis vultu læto tegentes, sic adulant:[89]

"Psyche, non ita ut pridem, parvula, et ipsa iam mater es. Quantum putas boni geris in ista maternitate? Quantis gaudiis totam domum nostram hilarabis? O, nos beatas, quas infantis aurei nutrimenta

85. Fascino captus, fascinatus, incantatus.

86. Par, uti *par boum* = iugum boum; boves sibi similes et plane æquales, unus dignus altero; *consponsæ factionis*, sociatæ coniuratione.

87. Solum, -i, terra, pavimentum, constratum, deposuit in terram.

88. *Incontatæ* = incunctatæ, a *cunctor*, nihil moratæ, statim, confestim; *conserto vestigio*, citato gressu, statim incipientes serere vestigia, iverunt propere.

89. Adulantur, affectant.

lætabunt! Qui si parentum, ut oportet, pulchritudini responderit, prorsus Cupido nascetur."

Sic, affectione simulata, paulatim sororis invadunt animum. Statimque eas lassitudine viæ sedilibus refotas, et balnearum vaporosis fontibus curatas, pulcherrimo triclinio, mirisque illis et beatis edulibus[90] atque tucetis[91] oblectat. Iubet citharam loqui, psallitur,[92] tibias agere, sonatur, choros canere, cantatur. Quæ nullo præsente cuncta dulcissimis modulis animos audientium remulcebant. Nec tamen scelestarum fœminarum nequitia vel ipsa mellita cantûs dulcedine mollita conquievit, sed ad destinatam fraudium pedicam[93] sermones conferentes, dissimulanter occipiunt sciscitari qualis ei maritus, et unde natalium sectacula[94] provenirent.

Tunc illa, simplicitate nimia pristini sermonis oblita, novum commentum[95] instruit, aitque maritum suum de provintia proxima, magnis pecuniis negotiantem, iam medium cursum ætatis agere, intersper-

90. *Edulis, -e,* quod edi potest; *edulium, -ii,* et *edulia, -orum,* edibilia, esca, cibus, alimentum.

91. *Tucetum, -i,* genus botulorum, hillarum, viscera suilla, minutali, sive carne concisa effercta, farcta.

92. *Psallo, citharâ, aut fidibus accino;* modulor, canto ad instrumentum musicum.

93. *Pĕdica, -æ,* tendicula, laqueus, insidiæ.

94. *Sectacula, -orum,* a *sequor,* quod procedit, sequitur, propago, stirps, origo.

95. Figmentum; instituit, comminiscitur fabulam.

sum rara canitie. Nec in sermone isto tantillum morata, rursum opiparis muneribus eas onustas, ventoso vehiculo reddit. Sed dum Zephyri tranquillo spiritu sublimatæ domum redeunt, sic secum altercantur:

"Quid, soror, dicimus de tam monstroso fatuæ illius mendacio? Tunc adolescens, modo florenti lanugine barbam instruens, nunc ætate media, candenti canitie lucidus. Quis ille, quem temporis modici spatium repentina senecta reformavit? Nil aliud reperies mea soror, quam vel mendacium istam pessimam fœminam confingere, vel formam mariti sui nescire. Quorum utrum verum est, opibus istis quamprimum exterminanda est. Quodsi viri sui faciem ignorat, Deo, profecto, denupsit, et prolem Deum nobis pariet. Certe si Divini puelli, quod absit, hæc mater erit, statim me laqueo nexili suspendam. Ergo interim ad parentes nostros redeamus, et exordio sermonis huius quam concolores fallacias attexamus."

Sic inflammatæ, parentibus fastidienter appellatis, et nocte turbatis vigiliis perdita, matutino scopulum pervolant, et inde soliti venti præsidio vehementer devolant, lacrymisque pressurá palpebrarum coactis, hoc astu puellam appellant:

"Tu quidem felix, et ipsá tanti mali ignorantiá beata, sedes incuriosa periculi tui, nos autem, quæ pervigili cura rebus tuis excubamus, cladibus tuis misere cruciamur. Pro vero namque comperimus, nec

te, sociæ scilicet doloris casúsque tui, celare possumus, immanem colubrum, multinodis voluminibus serpentem, veneno noxio colla sanguinantem hiantemque ingluvie profunda, tecum noctibus latenter acquiescere. Nunc recordare sortis Pythicæ, quæ te trucis bestiæ nuptiis destinatam esse clamavit. Et multi coloni, quique circumsecus venantur, et accolæ plurimi videre eum vespera redeuntem e pastu, proximique fluminis vadis innatantem. Nec diu blandis alimoniarum obsequiis te saginaturum, omnes affirmant; sed quum primum proles tua nata fuerit, opimiori fructu præditam te devoraturum. At hic iam tua est existimatio, utrum sororibus, pro tua chara salute sollicitis, assentiri velis, et declinata morte, nobiscum secura periculi vivere, an sævissimæ bestiæ sepeliri visceribus. Quodsi te ruris huius vocalis[96] solitudo, vel venenati serpentis amplexus delectant: certe piæ sorores nostrum[97] fecerimus."

Tunc Psyche misella, utpote simplex, et animi tenella, rapitur verborum tam tristium formidine, et extra terminum mentis suæ posita, prorsus omnium mariti monitionum, suarumque promissionum memoriam effudit, et in profundum calamitatis sese præcipitavit, tremensque et exsangui colore lurida, ter-

96. Ubi voces quidem audiuntur, videtur tamen nemo.
97. Officium.

tiata[98] verba semianimi voce substrepens, sic ad illas ait:

"Vos quidem, charissimæ sorores, ut par erat, in officio vestræ pietatis permanetis; verum et illi, qui talia vobis affirmant, non videntur mihi mendacium fingere. Nec enim unquam viri mei vidi faciem, vel omnino cuiatus sit, novi; sed tantum nocturnis subaudiens vocibus, maritum incerti statûs, et prorsus lucifugam tolero, bestiamque aliquam recte dicentibus vobis merito consentio, meque magnopere semper a suis terret aspectibus, malumque grande de vultûs curiositate præminatur. Nunc, siquam salutarem opem periclitanti sorori vestræ potestis afferre, iam nunc subsistite."

Cæterum incuria sequens, prioris providentiæ beneficia corrumpit.

Tunc nactæ, iam portis patentibus, nudatum sororis animum facinorosæ mulieres, omissis tectæ machinæ latibulis, destrictis gladiis fraudium, simplicis puellæ paventes cogitationes invadunt. Sic denique altera:

"Quoniam nos originis nexus pro tua incolumitate periculum quidem nullum ante oculos habere compellit; viam quæ sola deducit iter ad salutem, diu diuque cogitatam monstrabimus tibi. Novaculam præ-

98. Quod quis ter repetit, balbutiens.

acutam ad pulsum etiam palmulæ lenientis exasperatam[99] tori, qua parte cubare consuesti, latenter absconde, lucernamque concinnam, completam oleo claro lumine præmicantem, subde aliquo claudentis aulæi tegmine. Omnique isto apparatu tenacissime dissimulato, postquam sulcatos intrahens gressus cubile solitum conscenderit, iamque porrectus, et exordio somni prementis implicitus, altum soporem flare cœperit, toro delapsa,[100] nudoque vestigio pensilem[101] gradum paululatim minuens, cœcæ tenebræ custodiá liberatá lucerná, præclari tui facinoris opportunitatem de luminis consilio mutuare,[102] et ancipiti telo,[103] audacter prius dexterá sursum elatá, nisu quam valido[104] noxii serpentis nodum cervicis et capitis abscide. Nec nostrum tibi deerit subsidium; sed quum primum illius morte salutem tibi feceris, anxiæ præstolabimur, cunctisque ocyus tecum relatis, votivis nuptiis hominem te iungemus homini."

Tali verborum incendio flammata viscera sororis iam prorsus ardentis deserentes ipsæ protinus, tanti

99. Leni frictu in palmo tuo ulterius exacutam.

100. Desiliens.

101. Suspenso pede, digitis pedum insistens.

102. Lucernam, quam cœcæ tænebræ tegminis aulæi celabant, proferens, accipe (mutuare) occasionem ad exsequendum tuum facinus a consilio luminis, quasi lumen suadeat.

103. Quod non est experientia probatum; novacula.

104. Impetu, quam potes validissimo.

mali confinium[105] sibi etiam eximie metuentes, flatûs alitis impulsæ solito porrectæ super scopulum, illico pernici se fuga proripiunt, statimque conscensis navibus, abeunt.[106]

At Psyche, relicta sola, nisi quod infestis furiis agitata, sola non est, æstu pelagi similiter mœrendo fluctuat; et quamvis statuto consilio, et obstinato animo, iam tum facinori manus admovens, adhuc incerta consilii titubat, multisque calamitatis suæ distrahitur affectibus. Festinat, differt, audet, trepidat, diffidit, irascitur, et, quod est ultimum, in eodem corpore odit bestiam, diligit maritum. Vesperá tamen iam noctem trahente, præcipiti festinatione nefarii sceleris instruit apparatum. Nox aderat, et maritus aderat, ac post blanda colloquia iam et sopori se tradiderat.

Tunc Psyche, et corporis, et animi alioquin infirma, Fati tamen sævitiá subministrante, viribus roboratur, et prolatá lucerná, et arreptá novaculá, sexum audacia mutavit. Sed, quum primum luminis oblatione tori secreta claruerunt, vidit omnium ferarum mitissimam dulcissimamque bestiam: ipsum il-

105. Ipsum vicinum locum tantorum malorum timebant etiam propter se ipsas, ne caperentur.

106. Ordo est: Solito impulsu flatûs âlitis, = eodem flatu Zephyri quam antea impellente, sorores depositæ, transvectæ in solitum saxum.

lum Cupidinem formosum Deum formose cubantem, cuius aspectu lucernæ quoque lumen hilaratum increbruit, et acuminis sacrilegi novaculam pœnitebat. At vero Psyche tanto aspectu deterrita, et impos animi, marcido pallore defecta, tremensque desedit in imos poplites, et ferrum quærit abscondere, sed in suo pectore. Quod profecto fecisset, nisi ferrum, timore tanti flagitii manibus temerariis delapsum evolasset. Iamque lassa, et salute defecta, dum sæpius Divini vultûs intuetur pulchritudinem, recreatur animi. Videt capitis aurei genialem cæsariem ambrosiá temulentam, cervices lacteas, genasque purpureas, pererrantes crinium globos, decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos, quorum splendore nimio fulgurante, et ipsum lumen lucernæ vacillabat. Per humeros volatilis Dei pennæ roscidæ ac delicatæ tremule resultantes, inquiete lasciviunt. Cæterum corpus glabellum[107] atque luculentum, et quale peperisse Venerem non pœniteret. Ante lectuli pedes iacebat arcus, et pharetra, et sagittæ magni Dei propitia tela.

uæ dum insatiabili animo Psyche satis curiose rimatur atque pertractat, et mariti sui miratur arma, depromit unam de pharetra sagittam, et puncto pollicis extremam aciem periclitabunda, trementis etiam-

107, Glabrum, non pilosum, sine pilis aut crinibus.

num articuli nixu fortiori pupugit altius, ut per summam cutim roraverint parvulæ sanguinis rosei guttæ. Sic ignara Psyche, sponte in Amoris incidit amorem. Tunc magis magisque cupidine flagrans Cupidinis, prona in eum efflictim inhians, patulis ac petulantibus suaviis festinanter ingestis, de somni mensura metuebat. Sed dum bono tanto percita, saucia mente fluctuat, lucerna illa, sive perfidiá pessimá, sive invidiá noxiá, sive quod tale corpus contingere, et quasi basiare et ipsa gestiebat: evomuit de summa luminis sui stillam ferventis olei super humerum Dei dextrum. Hem audax et temeraria lucerna, et amoris vile ministerium, ipsum ignis totius Deum aduris, quum te scilicet amator aliquis, ut diutius cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit! Sic inustus exsiliit Deus, visaque detectæ fidei colluvie, prorsus ex oculis et manibus infelicissimæ coniugis tacitus avolavit.

At Psyche statim resurgentis eius crure dextro manibus ambabus arrepto, sublimis evectionis appendix miseranda, et per nubilas plagas penduli comitatus extrema consequa,[108] tandem fessa delabitur solo. Nec Deus amator humi iacentem deserens, involavit proximam cupressum, deque eius alto cacumine sic eam graviter commotus affatur:

108. Consequens, quæ sequitur, pendebat enim de crure sursum volantis Dei Cupidinis, sequebaturque eum invita.

"Ego quidem, simplicissima Psyche, parentis meæ præceptorum immemor, quæ te miseri extremique hominis devinctam cupidine, infimo matrimonio addici iusserat, ipse potius amator advolavi tibi. Sed hic feci leviter, scio; et præclarus ille sagittarius, ipse me telo meo percussi, teque coniugem meam feci, ut bestia scilicet tibi viderer, et ferro caput excíderes meum, quod istos amatores tuos oculos gerit. Hic tibi identidem semper cavenda censebam, hic benevole remonebam. Sed illæ quidem consiliatrices egregiæ tuæ, tam perniciosi magisterii[109] dabunt actutum mihi pœnas, te vero tantum fugá meá punivero," et cum termino sermonis, pennis in altum se proripuit.

Psyche vero humi prostrata, et quantum visu poterat, volatus mariti prospiciens, extremis, affligebat lamentationibus animum. Sed ubi remigio plumæ raptum maritum proceritas spatii fecerat alienum, per proximi fluminis marginem præcipitem se dedit. Sed mitis fluvius, in honorem Dei scilicet, qui et ipsas aquas urere consuevit, metuens sibi, confestim eam innoxio volumine super ripam florentem herbis exposuit.

Tunc forte Pan, Deus rusticus, iuxta supercilium[110] amnis sedebat, complexus hic humo Cannam

109. Quod sorores tamquam ludimagistræ, sive præceptrices, eam facinus docuerunt; officium magistri.

110. Ripa, præsertim elatior, iugi instar.

Deam[111] eamque voculas omnimodas edocens recinere. Proxime ripam vago pastu lasciviunt comam fluvii tondentes capellæ. Hircosus Deus sauciam Psychem, atque defectam, utcunque casús eius non inscius, clementer ad se vocatam, sic permulcet verbis lenientibus:

"Puella, scitula, sum quidem rusticanus, et opilio sed senectutis prolixæ beneficio multis experimentis instructus. Verum, si recte coniecto, quod profecto, prudentes viri divinationem autumant, ab isto titubante et sæpius vacillante vestigio, deque nimio pallore corporis, et assiduo suspiritu, imo et ipsis mœrentibus oculis tuis, amore nimio laboras. Ergo mihi ausculta, nec te rursus præcipitio, vel ullo mortis accersito genere perimas. Luctum desine, et pone mœrorem, precibusque potius Cupidinem, Deorum maximum percole; et, utpote adolescentem delicatum luxuriosumque blandis obsequiis promerere."

Sic locuto Deo pastore, nulloque sermone reddito, sed adorato tantum Numine salutari, Psyche pergit ire. Sed antequam multum viæ laboranti vestigio pererrasset, inscio quodam tramite iam delabente, accedit quamdam civitatem, in qua regnum maritus unius sororis eius obtinebat. Qua re cognita, Psyche

111. Nulla Dea eius nominis, sed auctor tibiam significat, quæ ex canna, arundine, primum fieri solebat, quarum plures, quæque alterá brevior, sonoque ob id acutior, *organum* efficiebant, quo Pan canere consuevit.

nuntiari præsentiam suam sorori desiderat; mox inducta, alternis amplexibus mutuæ salutationis expletis, percontanti causas adventûs sui, sic incipit:

"Meministi consilium vestrum, scilicet quo mihi suasistis, ut bestiam, quæ mariti mentito nomine mecum habitabat, priusquam ingluvie voraci me misellam hauriret, ancipiti novacula perimerem? Sed quum primum ut æque placuerat, conscio lumine vultus eius aspexi, video mirum, divinumque prorsus spectaculum: ipsum illum Deæ Veneris filium, ipsum, inquam, Cupidinem, leni quiete sopitum. Ac dum tanti boni spectaculo percita, ac nimia voluptatis copiá turbata, fruendi laborarem inopiá, casu scilicet pessimo, lucerna fervens oleum ebullivit in eius humerum. Quo dolore statim somno recussus, ubi me ferro et igni conspexit armatam, 'Tu,' inquit, 'ob istud tam dirum facinus, confestim toro meo divorte, tibique res tuas habeto. Ego vero sororem tuam, et nomen quo tu censeris,'[112] aiebat, 'iam mihi confestim arrhá,[113] atque nuptiis coniugabo,' et statim Zephyro præcepit, ultra terminos me domûs eius efflaret."

Necdum sermonem Psyche finierat, illa vesana

112. Propter quod tu æstimaris velut uxor Cupidinis, tibi adimam, et sorori tuæ tribuam.

113. *Arrha, -æ, arrabo, -nis*, m., vocabulum Hebraicum, sed iam antiquioribus Romanis usitatum, est pecunia, quam in antecessum damus aliquid præstinantes, ut negotium confirmemus.

libidinis et invidiæ noxiæ stimulis agitata, et reconcinnato mendacio fallens maritum, quasi de morte parentum aliquid comperisset, statim navem conscendit, et ad illum scopulum protinus pergit, et quamvis alio vento flante, cœca spe tamen inhians, "Accipe me," dicens, "Cupido, dignam te coniugem, et tu, Zephyre, suscipe dominam," saltu se maximo præcipitem dedit. Nec tamen ad illum locum, vel saltem mortua, pervenire potuit. Nam per saxa cautium membris iactatis ac dissipatis, et, perinde ut merebatur, laceratis visceribus suis, alitibus bestiisque obvium ferens pabulum, interiit.

Nec vindicta sequentis[114] pœna tardavit. Nam Psyche errabundo rursus gradu pervenit ad civitatem aliam, in qua pari modo soror morabatur alia. Nec secius et ipsa fallacie germanitatis[115] inducta, et in sororis sceleratas nuptias æmula festinavit ad scopulum, inque consimile mortis exitium cecidit.

Interim dum Psyche quæsitioni Cupidinis intenta, populos circuibat, ille vulnere lucernæ dolens, in ipso thalamo matris iacens ingemebat. Tunc avis peralba illa Gavia,[116] quæ per super fluctus marinos pennis natat, demergit sese propere ad Oceani profundum gremium. Ibi commodum Venerem lavan-

114. Secundæ sororis.
115. Dolo suæ sororis germanæ.
116. Genus avis, non satis notum.

tem natantemque propter assistens, indicat adultum filium eius gravi vulneris dolore mœrentem, dubium salutis iacere, iamque per cunctorum ora populorum rumoribus convitiisque variis omnem Veneris familiam male audire,[117] quod ille quidem montaná diversatione, tu vero marino natatu secesseritis. Ac per hoc non Voluptas ulla, non gratia, non Lepos, sed incompta, et agrestia, et horrida cuncta sint: non nuptiæ coniugales, non amicitiæ sociales, non liberûm charitates, sed enormis illuvies, et squalentium fœderum insuave fastidium.

Hic illa verbosa, et satis curiosa avis, in auribus Veneris filii lacerans existimationem, ganniebat. At Venus irata solidum[118] exclamat repente:

"Ergo iam ille bonus filius meus habet amicam aliquam? Prome, age tu quæ sola mihi servis amanter, nomen eius quæ puerum ingenuum et investem[119] sollicitavit; sive illa de Nympharum populo, seu de Horarum numero, seu de Musarum choro, vel de mearum Gratiarum ministerio."

Nec loquax illa conticuit avis, sed:

"Nescio," inquit, "Domina, puto puellam, si probe memini, Psyches nomine dicitur, efflictim cupere."

Tunc indignata Venus, exclamavit:

117. Atro signari, infamari.
118. Prorsus, omnino.
119. Inberbem, sine barba.

"Vel maxime Psychem ille, meæ formæ succubam,[120] mei nominis æmulam, vere diligit. Nimirum illud incrementum[121] mediatricem me putavit, cuius monstratu puellam illam cognosceret."

Hæc quiritans properiter emergit e mari, suumque protinus aureum thalamum petit, et reperto, sicut audierat, ægroto puero, iam inde a foribus quam maxime boans:

"Honesta," inquit, "hæc, et natalibus nostris, bonæque tui frugi congruentia? Ut primum quidem tuæ parentis, imo, Dominæ, præcepta calcares, nec sordidis amoribus inimicam meam pollueres; verum etiam hoc ætatis puer, tuis immaturis iungeres amplexibus: ut ego nurum[122] scilicet tolerarem inimicam. Sed utique præsumis, nugo[123] et corruptor et inamabilis, te solum generosum, nec me iam per ætatem valere. Velim ergo scias, multo te meliorem filium alium habituram; imo, ut contumeliam magis sentias, aliquem de meis adoptaturam vernulis,[124] eique donaturam istas pennas et flammas, et arcum, et ipsas sagittas, et omnem meam supellectilem, quam tibi non ad hos usus dederam. Nec enim e patris tui

120. Meæ pulchritudinis æmulam, meam rivalem.
121. Filius, soboles.
122. Uxor filii.
123. Nugator, nebulo.
124. Vernula, -æ, prolis e servis domi nata.

bonis ad instructionem istam quidquam concessum est; sed male primá pueritiá instructus es, et acutas manus habes, et maiores tuos irreverenter pulsasti toties, et ipsam matrem tuam, me, inquam, ipsam parricida, denudas[125] quotidie, et percussisti sæpius, et quasi viduam utique contemnis, nec vítricum[126] tuum, fortissimum illum, maximumque bellatorem, metuis. Quidni? quem ad me vexandam sæpius tuos mores docere suscepisti. Sed faxo[127] te lusús huius pœniteat, et sentias acida et amara ioca ista tua. Sed nunc irrisui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis stellionem[128] istum cohibeam? Petamne auxilium ab inimica mea, Sobrietate, quam propter huius ipsius luxuriam offendi sæpius? aut rusticæ squalentisque fœminæ colloquium adhibendum est? Horresco; nec tamen vindictæ solatium tantum spernendum est. Illa mihi prorsus adhibenda est, nec ulla alia, quæ castiget asperrime nugonem istum; pharetram expilet, et sagittas dearmet, arcum denodet, tædam deflammet, imo et ipsum corpus eius acrioribus remediis coerceat. Tunc iniuriæ meæ libatum credi-

125. Tollis, aufers meam auctoritatem.

126. Secundus maritus prolibus est *vítricus*.

127. *Faxo*, obsoleta forma pro *faciam*, et *fecero*, tamen sæpe adhibetur.

128. Proprie: lacerta stellata, animalculum in specie crocodili, sed innocuum, qualia in hortis visuntur; latiori sensu, nebulo, lurco, ganeo.

derim, quum eius comas, quas istis manibus meis subinde aureo nitore perstrinxi, deraserim, pennas, quas meo gremio nectarei fontis infeci, prætotonderim."

Sic effata, et stomachata biles Venereas, foras sese proripit infesta. Sed eam protinus Ceres et Iuno comitantur, visamque vultu tumido, quæsivere, cur truci supercilio tantam venustatem micantium oculorum coercéret. At illa:

"Opportune," inquit, "ardenti prorsus isti meo pectori violentiam scilicet perpetraturæ venitis. Sed totis, oro, vestris viribus Psychem illam fugitivam, volaticam, mihi requirite. Nec enim vos utique domús meæ famosa fabula, et non dicendi filii mei factum latuerint."

Tunc illæ ignaræ quæ gesta sunt, palpare Veneris iram sævientem sic adortæ:

"Quid tale, Domina, deliquit tuus filius, ut animo pervicaci voluptates eius impugnas; et quam ille diligit, tu quoque perdere gestias? Quod autem damus isti crimen, si puellæ lepidæ libenter arrisit? An ignoras eum masculum et iuvenem esse, vel certe iam quot sit annorum, oblita es? An quod ætatem portat bellule, puer tibi semper videtur? Mater autem tu, et præterea cordata mulier, filii tui lusus semper explorabis curiose, et in eo luxuriem culpabis, et amores revinces, et tuas artes, tuasque delitias in formoso

filio reprehendes? Quis autem Deûm, quis hominum patietur, passim cupidines populis disseminantem, quum tuæ domûs amores amarè coerceas, et vitiorum muliebrium publicam præcludas officinam?"

Sic illæ metu sagittarum, patrocinio gratioso Cupidini, quamvis absenti, blandiebantur. Sed Venus indignata ridicule tractari suas iniurias, præversis illis, alte rursus concito gradu, pelago viam capessit.

Interea Psyche variis iactabatur discursibus, dies noctesque mariti vestigationibus inquieta, animo tanto cupidior, et, iratum licet, si non uxoris blanditiis lenire, certe servilibus precibus propitiare. Et, prospecto templo quodam in ardui montis vertice: "Unde autem," inquit, "scio, an istic degat meus dominus?" Et illico dirigit citatum gradum, quem defectum prorsus assiduis laboribus spes incitabat, et votum. Iamque graviter emensis celsioribus iugis, pulvinaribus sese proximam intulit. Videt spicas frumentarias in acervo, et alias flexibiles in corona; et spicas hordei videt. Erant et falces et operæ messoriæ mundus omnis, sed cuncta passim iacentia, et incuriá confusa, et, ut solet, æstu laborantium manibus proiecta. Hæc singula Psyche curiose dividit, et discretim remota rite componit, rata scilicet, nullius Dei fana et cerimonias negligere se debere, sed omnium benevolam misericordiam corrogare.

Hæc eam sollicite seduloque curantem, Ceres alma deprehendit, et longum exclamat protinus:

"Ah, Psyche, miseranda! totum per orbem Venus anxia disquisitione tuum vestigium furens animi requirit! teque ad extremum supplicium expetit, et totis numinis sui viribus ultionem flagitat. Tu vero rerum mearum tutelam nunc geris, et aliud quidquam cogitas, nisi de tua salute?"

Tunc Psyche pedes eius advoluta, et uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis, multiiugis precibus editis, veniam postulabat:

"Per ego te frugiferam tuam dextram istam deprecor, per lætificas messium cerimonias, per tacita sacra cistarum, et famulorum tuorum draconum pennata curricula, et glebæ Siculæ sulcamina, et currum rapacem, et terram tenacem, et illuminarum[129] Proserpinæ nuptiarum demeacula,[130] et luminosarum filiæ inventionum remeacula, et cætera quæ silentio tegit Eleusinis Atticæ sacrarium, miserandæ Psyches

129. *Illuminus, -a, -um,* non illuminatum, sine lumine, quod Proserpina Dea erat Inferorum.

130. *Demeaculum,* et *remeaculum,* a *meáre,* ire, demeo, descendo remeo, redeo, ascendo, descendo. *Filia,* hic loci est Proserpina, filia Cereris, cuius inventiones sunt frumenta; hanc Pluto in Sicilia flores legentem abripuit, in inferas regiones detulit, et uxorem suam fecit atque Reginam Inferorum. — *Eleusin, -inis,* f., antiquissima urbs in Attica, de ritu et cærimoniis in honorem Cereris longe lateque clara.

animæ, supplicis tuæ, subsiste. Inter istam spicarum congeriem pátere vel paucos dies delitescam, quoad Deæ tantæ sæviens ira spatio temporis mitigetur, vel certe meæ vires diútino labore fessæ, quietis intervallo leniantur."

Suscipit Ceres: "Tuis quidem lacrymosis precibus et commoveor, et opitulari cupio; sed cognatæ meæ, cum qua etiam antiquum fœdus amicitiæ colo, bonæ præterea fœminæ malam gratiam subire nequeo. Decede igitur istis ædibus protinus, et quod a me retenta custoditaque non fueris, optimi consule."

Contra spem suam repulsa Psyche, et afflicta duplici mœstitiá, iter retrorsum porrigens, inter subsitæ convallis sublucidum lucum prospicit fanum solerti fabrica structum, nec ullam vel dubiam spei melioris viam volens omittere, sed adire cuiuscunque Dei veniam, sacratis foribus proximat. Videt dona pretiosa, et lacinias auro litteratas, ramis arborum, postibusque suffixas, quæ cum gratia facti nomen Deæ, cui fuerunt dicata, testabantur. Tunc genu nixa, et manibus aram tepentem amplexa, detersis ante lacrymis, sic apprecatur:

"Magni Iovis Germana et Coniuga,[131] sive tu Sami, quæ querulo partu vagituque et alimoniá tuá gloriatur, tenes vetusta delubra, sive celsæ Carthagi-

131. Coniux, uxor, Iuno; insula Samos.

nis, quæ te virginem vecturá leonis, cœlo commeantem percolit, beatas sedes frequentas; sive prope Inachi,[132] qui te iam nuptam Tonantis, et Reginam Dearum memorat, inclytis Argivorum præsides mœnibus, quam cunctus Oriens Zygiam[133] veneratur, et omnis Occidens Lucinam[134] appellat: sis meis extremis casibus Iuno Sospita,[135] meque in tantis exantlatis laboribus defessam, imminentis periculi metu libera, quod sciam, soles prægnantibus periclitantibus ultro subvenire."

Ad istum modum supplicanti statim sese Iuno cum totius sui Numinis augusta dignitate præsentat, et protinus:

"Quam vellem," inquit, "Psyche, nutum meum precibus tuis accommodare; sed contra voluntatem Veneris, nurûs meæ, quam filiæ semper dilexi loco, præstare me pudor non sinit. Tum etiam legibus, quæ servos alienos profugos invitis dominis vetant suscipi, prohibeor."

Isto quoque fortunæ naufragio Psyche perterrita, nec indipisci[136] iam maritum volatilem quiens, tota

132. Fluvius in Argoli.

133. Zygia, cognomen Iunonis, velut Deæ coniugii.

134. *Lucina*, cognomen Iunonis Latinum, eodem sensu, revera autem lunam significat.

135. *Sospes*, *-itis*, salvus, servatus, incolumis, sospitator, sospitatrix, qui, vel quæ servat, servator, salvator, Græcorum *Hygieia*, Iuno Servatrix.

136. *Indipiscor*, *3 indeptus sum*, adipiscor, obtineo, assequor, potior.

spe salutis deposita, sic ipsa suas cogitationes consuluit: "Iam quæ possunt alias meis ærumnis tentari, vel adhiberi subsidia, cui nec Dearum quidem, quamquam volentium, potuerunt prodesse suffragia? Quo rursum itaque, tantis laqueis inclusa, vestigia porrigam? quibusque tectis, vel etiam tenebris, abscondita, magnæ Veneris inevitabiles oculos effugiam? Quin igitur firmatum tandem sumis animum et cassæ[137] speculæ renuntias fortiter, et ultroneam[138] te dominæ tuæ reddis, et vel será modestiá sævientes impetus eius mitigas? Quí scias, an etiam, quem diu quæritas, illic, in domo matris reperias?"

Sic ad dubium obsequium, imo ad certum exitium, præparata, principium futuræ secum meditabatur obsecrationis.

At Venus, terrenis remediis inquisitionis abnuens, cœlum petit. Iubet construi currum, quem ei Vulcanus subtili fabrica studiose poliverat, et ante thalami rudimentum nuptiale munus obtulerat limæ tenuantis detrimento[139] conspicuum, et ipsius auri damno pretiosum. De multis, quæ circa cubiculum dominæ stabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, et hilaris incessibus picta colla torquentes, iugum

137. Parvulæ spei vanæ.

138. Te voluntariam, tua sponte, ultro.

139. Quod limando de metallo aut ligno deteritur, detrimentum est, primus sensus vocabuli.

gemmeum subeunt, susceptáque dominá, lætæ subvolant. Currum Deæ prosequentes gannitu constrepenti lasciviunt passeres et cæteræ quæ dulce cantitant aves, melleis modulis suave resonantes, adventum Deæ pronuntiant. Cedunt nubes, et cœlum filiæ panditur, et summus æther cum gaudio suscipit Deam, nec obvias aquilas, vel accipitres rapaces pertimescit magnæ Veneris canora familia. Tunc se protinus ad regias Iovis arces dirigit, et petitu superbo Mercurii, Dei vocalis[140] operæ necessariam usuram postulat. Nec renuit Iovis cærulum supercilium. Tunc ovans illico, comitata etiam Mercurio, Venus cœlo demeat, eique sollicite serit verba:

"Frater arcas,[141] scio nempe sororem Venerem sine Mercurii præsentia nihil unquam fecisse; nec te præterit utique quanto iam tempore delitescentem ancillam nequiverim reperire. Nil ergo superest, quam tuo præconio præmium investigationis publicitus edicere. Fac ergo mandatum matures meum, et indicia quibus possit cognosci, manifeste designes: ne siquis occultationis illicitæ crimem subierit, ignorantiæ se possit excusatione defendere."

Et simul dicens, libellum ei porrigit, ubi Psyches

140. Nuntius Deorum, Deus eloquentiæ.

141. *Arcas, árcadis*, quod Mercurius fertur in Cylonne, monte Arcadiæ natus fuisse.

nomen continebatur, et cætera. Quo facto, protinus domum secessit.

Nec Mercurius omisit obsequium. Nam per omnium ora populorum passim discurrens, sic mandatæ prædicationis munus exsequebatur:

"Siquis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychem, conveniat retro metas[142] Myrteas Mercurium prædicatorem, accepturus indicii[143] nomine ab ipsa Venere septem savia,[144] et unum blandientis appulsu linguæ longe mellitum."

Ad hunc modum pronuntiante Mercurio, tanti præmii cupido certatim omnium mortalium studium arrexerat. Quæ res nunc vel maxime sustulit Psyches contationem.[145] Iamque fores eius dominæ proximant occurrit una de famulatione Veneris, nomine Consuetudo, statimque quantum maxime potuit, exclamavit:

"Tandem ancilla nequissima, dominam habere te

142. *Meta*, est statio, stationes in Circo, quas athletæ prætercurrere, aut ad quas procurrere, aut suffugere debebant. Scribæ et interpretes nimium quantum vocabula quædam confundunt. Sic Venus etiam cognominabatur Venus Myrtea, myrtus enim ei sacra erat; una autem metarum in Circo prope erat ad sacellum Veneris Myrteæ; ex hoc vocabulo fecerunt *murciam* (hoc est, *mürtiam*), quod denique detortum est in *murcidam*, quod segnem, desidem ac pigrum significat.

143. Præmium proditionis.

144. *Savium*, *suavium*, basium, osculum.

145. Cunctatio, dubitatio, incertitudo, hæsio, mora.

scire cœpisti? An pro cætera morum tuorum temeritate, istud quoque te nescire fingis, quantos labores circa tuas inquisitiones sustinuerimus? Sed bene, quod meas potissimum manus incidisti, et inter orci cancros iam ipsos adhæsisti: datura scilicet actutum contumaciæ tantæ pœnas." Et audaciter in capillos eius imissa manu trahebat eam, nequaquam renitentem.

Quam ubi primum inductam, oblatamque sibi conspexit Venus, lætissimum coachinnum extollit, et qualem solent furenter irati, caputque quatiens, et adscalpens aurem dextram:

"Tandem," inquit, "dignata es socrum[146] tuam salutare? An potius maritum, qui vulnere tuo periclitatur, intervisere venisti? Sed esto secura: iam enim excipiam te ut bonam nurum condecet; et, Ubi," inquit, "Sollicitudo atque Tristities, ancillæ meæ?" Quibus introvocatis torquendam tradidit eam.

At illæ, sequentes herile præceptum, Psychem, misellam, flagellis afflictam, et cæteris tormentis excruciatam, iterum dominæ conspectui reddunt.

Tunc rursus sublato risu Venus:

"Et ecce," inquit, "statu valetudinis nobis commovet miserationem; unde me præclara sobole aviam beatam scilicet faciat. Felix vero ego, quæ in ipso

146. *Socrus*, *-ûs*, f., mater mariti.

ætatis meæ flore vocabor avia, et vilis ancillæ filius, nepos Veneris audiet,[147] quamquam inepta ego frustra filium dicam. Impares enim nuptiæ, et præterea in villa, sine testibus, et patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri, ac per hoc spurius iste nascetur, si id nos vel maxime patiamur."

His editis, involat in eam, vestemque plurifariam diloricat, capilloque discisso, et capite conquassato, graviter affligit, et accepto hordeo et milio, et papavere, et cicere, et lente, et faba, commixtisque acervatim confusisque in unum grumulum, sic ad illam:

"Videris," inquit, "mihi tam deformis ancilla, nullo alio, sed tantum sedulo ministerio amatores tuos promereri: iam ergo et ipsa frugem tuam periclitabor. Discerne seminum istorum passivam congeriem, singulisque granis rite dispositis atque seiugatis, ante istam vesperam opus expeditum approbato mihi."

Sic assignato tantorum seminum cumulo, ipsa cœnæ nuptiali concessit.[148]

Nec Psyche manus admolitur inconditæ illi et inextricabili moli; sed immanitate præcepti consternata, silens obstupescit.

Tunc Formicula illa parvula atque ruricola, certatim difficultatis tantæ, laborisque miserta, contubernalis magni Dei, socrúsque sævitiá exsecrata, discur-

147. Vocabitur.
148. Ad cœnam nuptialem discessit.

rens gnaviter convocat, corrogatque cunctam formicarum accolarum classem: "Miseremini terræ omniparentis agiles alumnæ, miseremini, et Amoris uxori, puellæ lepidæ periclitanti prompta velocitate succurrite."

Ruunt aliæ, superque aliæ sepedum populorum undæ, summoque studio singulæ granatim totum digerunt acervum, separatimque distributis, distinctisquo generibus, e conspectu perniciter abeunt.

Sed initio noctis e convivio nuptiali, vino madens et fragrans balsama, Venus remeat, totum revincta corpus rosis micantibus, visaqua diligentiá miri laboris:

"Non tuum," inquit, "nequissima, nec tuarum manuum istud opus, sed illius, cui tuo, imo et ipsius malo, placuisti." Et frusto cibarii panis ei proiecto, cubitum facessit.

Interim Cupido solus interioris domûs unici cubiculi custodiá clausus, coercebatur acriter; partim ne cum sua cupita conveniret. Sic ergo distentis, et sub uno tecto separatis amatoribus, tætra nox exantlata.[149] Sed aurorá commodum inequitanti, vocatæ Psychæ Venus infit talia:

"Videsne illud nemus, quod fluvio præterluenti, ripisque longis attenditur, cuius imi gurgites vicinum

149. Nox exacta est.

fontem respiciunt? oves ibi nitentes, aurique colore florentes, incustodito pastu vagantur. Inde de coma pretiosi velleris floccum mihi confestim, quoquo modo quæsitum, afferas, censeo."

Perrexit Psyche volenter non obsequium quidem illa functura, sed requiem malorum præcipitio fluvialis rupis habitura. Sed inde a fluvio Musicæ suavis nutricula, leni crepitu dulcis auræ divinitus inspirata, sic vaticinatur Arundo viridis:

"Psyche, tantis ærumnis exercita, neque tua miserrima morte meas sanctas aquas polluas, nec vero contra formidabiles oves istius oræ feras aditum; quod de Solis flagrantia mutuato calore, truci rabie solent efferri, cornuque acuto, et fronte saxea, et nonnunquam venenatis morsibus in exitium sævire mortalium. Sed dum meridies Solis sedaverit vaporem, et pecua spiritûs fluvialis serenitate conquieverint, poteris sub illa procerissima platano, quæ mecum simul unum fluentum bibit, latenter te abscondere, et quum primum mitigata furia laxaverint oves animum, percussis frondibus attigui nemoris, lanosum aurum reperies, quod passim stirpibus connexum obhærescit."

Sic Arundo simplex et humana, Psychem ægerrimam salutem suam docebat. Nec auscultatu pœnitendo diligenter instructa illa cessavit, sed observatis omnibus, furatrina facili, flaventis auri mollitie congestum gremium Veneri reportat. Nec tamen apud

dominam saltem secundi laboris periculum, secundum testimonium meruit; sed contortis superciliis subridens amarum, sic inquit:

"Nec me præterit huius quoque facti auctor adulterinus. Sed iam nunc ego sedulo periclitabor an oppido forti animo, singularique prudentiá sis prædita. Videsne insistentem celsissimæ illi rupi montis ardui verticem, de quo fontis atri fuscæ defluunt undæ proximæque conceptaculo vallis inclusæ Stygias irrigant paludes, et pauca Cocyti fluenta nutriunt? Indide mihi de summi fontis' penita scaturigine rorem rigentem hauritum[150] istá confestim deferto urnulá."

Sic aiens, crystallo dedolatum vasculum, insuper ei graviora comminata, tradidit.

At illa studiose gradum celerans, montis extremum petit cumulum, certe vel illic inventura vitæ pessimæ finem. Sed quum primum prædicti iugi conterminos locos appulit, videt rei vastæ lethalem difficultatem. Namque saxum immani magnitudine procerum, et inaccessa salebritate lubricum, mediis faucibus lapidis fontes horridos evomebat, qui statim proni foraminis lacunis editi, perque proclive delapsi, et angusti canalis exserto contecti tramite, proximam convallem latenter incidebant; dextrá lævâque coti-

150. Forma obsoleta pro *haustum*.

bus[151] cavatis proserpunt, et longa colla porrecti[152] sævi dracones, inconnivæ[153] vigiliæ luminibus addictis, et in perpetuam lucem pupillis excubantibus.

Iamque et ipsæ semet movebant vocales aquæ iam et "Discede!" et "Quid facis, vide!" et "Quid agis?" "Cave et Fuge!" et "Peribis," subinde clamant. Sic impossibilitate ipsa mutata in lapidem Psyche, quamvis præsenti corpore, sensibus tamen aberat, et inextricabilis periculi more prorsus obruta, lacrymarum etiam extremo solatio carebat.

Nec Providentiæ Bonæ graves oculos innocentis animæ latuit ærumna. Nam supremi Iovis regalis avis illa, repente, propansis utrimque pennis, adfuit rapax aquila, memorque veteris obsequii, quo ductu Cupidinis Iovi pocillatorem Phrygium sustulerat, opportunam ferens opem, Deique numen in uxoris laboribus percolens, alti culminis Diales vias deserit, ob os puellæ provolans, incipit:

"At tu, simplex alioquin, et expers rerum talium, sperasne tu sanctissimi, nec minus truculenti fontis, vel unam stillam posse furari, vel omnino continge-

151. Cautibus; duo sunt vocabula, *cautes*, *-is*, f., scopuli, saxa acuta; et *cos*, *cotis*, f., lapsis, præsertim ad acuenda instrumenta ferrea ad cædendum.

152. Ita Græci; nos, Latine, *porrigentes*.

153. *Inconnivus*, *-a*, *-um*, a *nivens*, *-tis*, quod verbo caret, sed verbum compositum est *conniveo*, nicto, claudo et aperio oculos; inconnivæ vigiliæ, nunquam clausi oculi.

re? Diis etiam, ipsique Iovi formidabiles aquas istas Stygias, vel fando comperisti? quodque vos deieratis per numina Deorum, Deos per Stygis maiestatem solere? Sed cedo istam urnulam!"

Et protinus arreptam, completamque festinanter, libratisque pennarum nutantium molibus, inter genas sævientium dentium, et trisulca vibramina draconum, remigium dextra lævaque porrigens, nolentes aquas et ut abiret innoxius[154] præmonentes, excipit, commentus, ob iussum Veneris petere, eique se præministrare; quare paullo facilior adeundi fuit copia. Sic acceptam cum gaudio plenam urnam Psyche Veneri citata retulit.

Nec tamen nutum Deæ sævientis vel tunc expiare potuit; nam sic eam, maiora atque peiora flagitia comminans, appellat renidens exitiabile:[155]

"Iam tu quidem videris maga quædam mihi, et alte prorsus malefica, quæ talibus præceptis meis obtemperasti gnaviter. Sed adhuc istud, mea pupula, ministrare debebis. Sume istam pyxidem" — et dedit protinus — "usque ad Inferos, et ipsius Orci ferales penates te dirige. Tunc conferens pyxidem Proser-

154. Sine læsione, incolumis, salvus; excipit *aquila*, respondet, commentus, rationem allegans; masculino genere, quod aquila erat *nuntius* Iovis.

155. Nomen adiectivum in Accusativo: renidens, subridens in Psychem *tale quid*, quod ei exitio, interitui, perditioni esse posset.

pinæ, 'Petit de te Venus,' dicito, 'modicum de tua mittas ei formositate, vel ad unam saltem dieculam sufficiens; nam quod habuit, dum filium curat ægrotum, consumpsit, atque contrivit omne.' Sed haud immaturius redito, quia me necesse est indidem delinitam theatrum Deorum frequentare."

Tunc Psyche vel maxime sensit ultimas fortunas suas; et velamento reiecto, ad promptum exitium sese compelli manifeste comperit. Quidni? quæ suis pedibus ultro ad Tartarum, Manesque, demeare cogeretur. Nec contata diutius, pergit quampiam turrim præaltam, indidem se datura præcipitem; sic enim rebatur ad Inferos recte atque pulcherrime se posse descendere. Sed turris prorumpit in vocem subitam:

"Ecquid te," inquit, "præcipitio misella quæris extinguere? quidque iam novissimo periculo, laborique isto temere succumbis? Nam, si spiritus corpore tuo semel fuerit seiugatus, ibis quidem, profecto, ad imum Tartarum, sed inde nullo pacto redire poteris. Mihi ausculta: Lacedæmon, Achaiæ nobilis civitas, non longe sita est. Huius conterminam, deviis abditam locis, quære Tænarum. Inibi spiraculum Ditis, et per portas hiantes monstratur iter invium, cuius te limite transmeato, simul commiseris, iam canali[156] directo perges ad ipsam Orci regiam. Sed non hacte-

156. Subterraneo tubo, via fornicata, fornice, caverna.

nus vacua debebis per illas tenebras incedere, sed offas polentæ mulso concretas ambabus gestare manibus, et in ipso ore duas ferre stipes. Iamque confecta bona parte mortiferæ viæ, continuabis claudum asinum lignorum gerulum, cum agasone simili, qui te rogabit, decidenti sarcinæ fusticulos aliquos porrigas, sed tu nulla voce deprompta, tacita præterito. Nec mora; quum ad flumen mortuum venies, cui præfectus Charon protinus expetens portorium, sic ad ripam ulteriorem sutili cymba deducit commeantes. Ergo et inter mortuos avaritia vivit? nec Charon ille, Ditis pater, tantus Deus, quidquam gratuito facit? et pauper moriens viaticum debet quærere, et æs si forte præ manu non fuerit, nemo eum exspirare patietur? Huic squalido seni dabis nauli nomine de stipibus, quas feres alteram: sic tamen, ut ipse sua manu de tuo sumat ore. Nec secius tibi pigrum fluentum transmeanti quidam supernatans senex mortuus, putres attollens manus orabit, ut eum intra navigium trahas; nec tu tamen illicita affectére pietate.

"Transito[157] fluvio, modicum te progressam textrices orabunt anus, telam struentes, manus paulisper accommodes; nec id tamen tibi contingere fas est. Nam hic omnia tibi, et multa alia, de Veneris insidiis orientur, ut vel unam de manibus omittas offulam.

157. Traiecto, superato; verbum intransivitum sæpius pro transitivo passive sumit.

Nec putes futile istud polentarium damnum leve: altera enim perditá, lux hæc tibi prorsus denegabitur. Canis namque pergrandis triiugo,[158] et satis amplo capite præditus, immanis et formidabilis, tonantibus oblatrans faucibus, mortuos, quibus iam nihil mali potest facere, frustra territando, ante ipsum limen, et atra atria Proserpinæ semper excubans, servat vacuam Ditis domum. Hunc offrenatum unius offulæ prædá, facile præteribis, ad ipsamque protinus Proserpinam introibis, quæ te comiter excipiet, ac benigne, ut et molliter assidere, et prandium opipare suadeat sumere. Sed tu et humi reside, et panem sordidum petitum esto;[159] deinde nuntiato quid adveneris, susceptoque quod offeretur, rursus remeans, canis sævitiem offulá reliquá redime; ac deinde avaro nautæ datá, quam reservaveras stipe, transitoque eius fluvio, recalcans priora vestigia, ad istum cœlestium siderum redies[160] chorum. Sed inter omnia hinc observandum præcipue tibi censeo, ne velis aperire vel inspicere illam, quam feres, pyxidem, vel omnino formositatis divinæ abditum cures thesaurum."

Sic turris illa propitia vaticinationis munus explicuit.

158. *Triiugus, -a, -um,* tria iuga, triplum, triceps, trium capitum.

159. Altera forma pro *edito, ede, comede.*

160. Redibis, inflectit ut *audies,* attamen *eo, ire* facit *ibis.*

Nec morata Psyche, pergit Tænarum, sumptisque rite stipibus illis, et offulis, inferum decurrit meatum; transitoque per silentium asinario debili, et amnica[161] stipe vectori datá, neglecto supernatantis mortui desiderio, et spretis textricum subdolis precibus, et offulæ cibo sopita canis horrendi rabie, domum Proserpinæ penetrat. Nec offerentis hospitæ sedile delicatum, vel cibum beatum amplexa, sed ante pedes eius residens humilis, et cibario pane contenta, Veneream protulit legationem. Statimque secreto repletam conclusamque pyxidem suscipit, et offulæ sequentis fraude caninis latratibus obseratis, et residua navitæ reddita stipe, longe vegetior ab Inferis recurrit. Et repetita atque adorata candida ista luce, quamquam festinans obsequium terminare, mente capitur temeraria curiositate.

"Et, ecce," inquit, "inepta ego divinæ formositatis gerula, quæ nec tantillum quidem indidem mihi delibo, vel sic illi amatori meo formoso placitura." Et cum dicto reserat pyxidem. Nec quidquam ibi rerum, nec formositas ulla, sed infernus somnus, ac vere Stygius, qui statim cooperculo revelato invadit eam crassa soporis nebula, cunctisque eius membris perfunditur, et in ipso vestigio, ipsaque semitæ colla-

161. Ad amnem, — Cocytum, — debitum naulum, portorium.

psam possidet, et iacebat immobilis, et nihil aliud quam dormiens cadaver.

Sed Cupido, iam cicatrice solida, revalescens, nec diutinam suæ Psyches absentiam tolerans, per arctissimam cubiculi, quo cohibebatur, delapsus fenestram, refectisque pennis aliquanta quiete, longe velocius provolans, Psychem accurrit suam, detersoque somno curiose, et rursum in pristinam pyxidis sedem recondito, Psychem innoxio punctulo suæ sagittæ suscitat.

"Et, ecce," inquit, "rursum perieras misella simili curiositate. Sed interim quidem tu provintiam, quæ tibi matris meæ præcepto mandata est, exséquere gnaviter, cætera egomet videro."

His dictis amator levis in pennas se dedit, Psyche vero confestim Veneri munus reportat Proserpinæ.

Interea Cupido amore nimio peresus, et ægra facie matris suæ repentinam sobrietatem pertimescens, ad armile[162] redit, alisque pernicibus[163] cœli penetrato vertice, magno Iovi supplicat, suamque causam probat. Tunc Iupiter, prehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata consaviat[164] atque sic ad illum:

162. "Ad armillum redire," = ad suos mores reverti, quod auctor noster mutat in "ad armile redit;" ad armamentarium — suum — redit, h. e., ubi arma sua servat; se armat.

163. Facilibus, celeribus, dextris, gnaviter, dextre, scite agere.

164. Nempe buccá, ore, facie Cupidinis; *consaviat,* = deosculatur.

"Licet tu," inquit, "Domine Fili, nunquam mihi concessu Deûm decretum servaris[165] honorem, sed istud pectus meum, quo leges elementorum et vices siderum disponuntur, convulneraris assiduis ictibus, crebrisque terrenæ dementiæ fœdaveris casibus, contraque leges, et ipsam Iuliam,[166] disciplinamque publicam excessibus existimationem famamque meam læseris; in serpentes, in ignes, in feras in aves et gregalia pecua serenos vultus meos sordide reformando; attamen modestiæ meæ memor, quodque inter istas meas manus creveris, cuncta perficiam, dum tamen scias æmulos tuos cavere; ac, siqua nunc in terris puella præpollet pulchritudine, præsentis beneficii vicem per eam mihi repensare te debere."

Sic fatus, iubet Mercurium Deos omnes ad concionem convocare protinus, ac, siqui cœtu cœlestium defuisset, in pœnam decem millium nummorum conventum iri pronuntiare. Quo metu statim completo cœlesti theatro, pro sede sublimi sedens procerus Iupiter, sic enuntiat:

"Dii conscripti, adolescentem istum, quod manibus istis alumnatus sit, profecto scitis omnes; cuius primæ iuventutis caloratos impetus fræno quodam coercendos existimavi. Sat est quotidianis eum fabu-

165. Servaveris; abbreviatio crebra.

166. Lex Iulia de civitate Fœderatis atque Latinis donanda agit (Cic. in Balb. 8).

lis, ob excessus cunctasque corruptelas infamatum; tollenda est omnis occasio, et luxuria puerilis nuptialibus pedicis[167] alliganda. Puellam elegit, eam sibi iugavit: teneat, possideat, amplexus Psychem semper suis amoribus perfruatur." Et ad Venerem collata facie, "Ne tu," inquit, "Filia, quidquam contristére: nec prosapiæ tantæ tuæ, statuique de matrimonio mortali metuas. Iam faxo[168] nuptias non impares, sed legitimas, et Iure Civili congruas."

Et illico per Mercurium arripi Psychem, et in cœlum perduci iubet. Porrecto ambrosiæ poculo, "Sume," inquit, "Psyche, immortalis esto: nec unquam digredietur a tuo nexu Cupido, sed istæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ."

Nec mora; quum cœna nuptialis affluens exhibetur. Accumbebat summum torum maritus, Psychem gremio suo complexus, sic et cum sua Iunone Iupiter, ac deinde, per ordinem toti Dii. Tunc poculum nectaris, Iovi quidem suus pocillator ille rusticus puer,[169] cæteris vero Liber.[170] Vulcanus cœnam coquebat; Horæ rosis et cæteris floribus purpurabant omnia; Gratiæ spargebant balsama; Musæ voce canora personabant. Apollo cantavit ad citharam; Ve-

167. *Pédica*, -æ, vinculum pedum.
168. Fecero, faciam.
169. Ganymedes, Phrygius.
170. Liber Pater, Bacchus.

nus suavi Musicæ suppari gressu formosa saltavit; scœna ibi sic concinnata, ut Musæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, et Paniscus[171] ad fistulam diceret.

Sic, ecce, Psyche convenit in manum Cupidinis, et nascitur illis maturo partu filia, quam Voluptatem nominamus.

171. Pan, iuvenis Pan.

F I N I S.



